Sollemnia anniversaria

in

GYMNASIO LANDAVINO

a. d. VIII. Idus Sext. MDCCCLXXX

rite celebranda

rectoris et collegarum nomine

indicit

Albertus Bischoff.

Inest

de itinere Horatii Brundisino commentatio.

Landavi Palatinorum.

Typis Ed. Kaussleri.

1880.

Constantius fund.

Regi

Potentissimo Clementissimo

LUDOVICO

Saecula Septem

Regnante

Illustri Gente Wittelsbachiorum

Feliciter Transacta

Gratulatur

Faustis In Posterum Votis

Susceptis

Collegium Praeceptorum Gymnasii

Landavini

Summa Fide Oboedientia Veneratione

Interprete

Ioanne Dreykorn

Rectore.

A. d. VIII. Id. Sext. MDCCCLXXX.

Delere gaudet temporum atrocitas
Mortalium conanima grandia
  Tegitque humo prostrata late
    Moenia pinniferasque turres.

Mutare gestit solia vinculis
Aetas tyrannis invida turbidis,
  Qui corporum nisi strue alta
    Sceptra manu arripiunt cruenta.

At diligens servat, fovet omnium
Per saeculorum carior ordinem,
  Qui civibus regnant amati,
    Cura et amore animos trahentes.

Sic septimae nunc centuriae exitus
Annorum adest illis ab honoribus,
  Cum gens decora Ottonidarum
    Frena capit Baioariorum,

Quae nunc habet servata tenaciter,
Accepta fidae ut praemia erant manus.
  Virtutis exemplar probatum
    Laudibus his colit imperator:

„Experte mecum nubila lucida,
Semper fidelis signifer imperi,
Nunc gratus et laetus tibi, Otto,
Digna referre queo patratis.

Iam quinque mersit lustra fluens cito
Aevi unda nec cessere memoria
Angustiae, risus malignus
Hostium et undique spes restincta.

Mens horret et nunc anxia cogitans
Infamiae tormenta minacia,
Dolis et artibus datura
Omnia parta gravem ruinam.

Affulsit atra nocte benigna lux,
Alte superbam perfidiam hostium
Maior fides Germana victrix
En superat, stupet agmen omne,

Stupent et hostes attoniti, triti,
Pessumdati captique suis dolis,
Poenis luunt fraudes acerbis,
Liber ego repeto penates.

Alta repostum mente tuli tuum
Factum, quod auges saepe merens bene
Auroque fidior mearum
Auctor eras sociusque rerum.

Fide paratae frena tene probe
Terrae fidelis semper in imperi
Gubernium, tuis benignus,
Tuque tuique beati in aevum.

Ne unquam exuatur posteritas tua
Regno, sed auctis finibus imperent
Magis fixi in gentis fidelis
Pectoribus bonitate morum."

Persolvit aetas augurium, magis
Magisque crevit finium adauctio,
Rhenus Nicer iungunt suas cum
Danubio venerationes,

Multosque ramos mittit in aërem
Stirps una et amplexatur opes novas
Fulgetque ramus hic et ille
Nobilis imperii corona.

Rami excidunt rapti variis malis,
Truncus videtur corruiturus, at
Novissimorum surculus stat
Fronde virens bene stirpis instar

Et comprehendit cuncta, nova addita
Loco resignatorum et honoribus
Auctus corona regia atque
Imperio valido ac potenti.

Avi decorus nomine patris et
Avorum opes florens iuvenis capit,
Ut caelitus profectus ore
Splendidus egregie venusto.

Ottonis exemplo ducis in fide
Rex Ludovicus permanet imperi,
Victricibus creavit armis
Quod sociis animo volenti.

Primus salutat belligerum senem
Victoriosum nobilitans sua
  Voce imperatorem fidelis
    Ut socius, generosus, amplus.

Favore fati ut nunc videat datur,
Dum litteras artes fovet otio,
  Feliciter peracta regni
    Saecula concelebrata genti.

E milliens nunc mille animis sonant
Festis diebus iubila gaudia
  Et vota pro regis salute,
    Perpete prosperitate regni.

Per multa saecli lustra novi vale,
Rex nobilis pulcrique bonique amans,
  Tuis dilectus et benignus
    Cuncta videns populi serena.

Et gens Tua omnem salva per ordinem
Saeclorum et intacta usque malo gravi
  Potens regat cives probantes,
    Imperii decus et columna.

Typis Ed. Kaussleri.

Sermonum Horatianorum tres istos I, 5. 7. 8. si quis primos omnium compositos esse censet, neque omnino novam tulisse sententiam neque sagacius quam cautius iudicasse videatur. Qua de re ne vel minima relinquatur dubitatio etsi omnia libri prioris excutienda sunt poëmata, quintum tamen maxime inquirendum ponderandumque est, de cuius tempore cum inter viros doctos satis constet, hoc anno (37 a. Chr.) quid non solum senserit sed etiam quomodo sensa expresserit poëta si diligentius exploraverimus, quasi via munita ad alias quaestiones quibus de ordine poëmatum Horatii statuendo disputetur confidentius poterit ascendi.

Quid autem? nonne omnia Horatii poëmata interpretum curis satis superque explicita sunt et illustrata? Dicam libere quod expertus sum. De singulorum vi verborum vera investiganda, de rebus, temporibus, locis constituendis optime meruerunt interpretes. Poëtae virtuti, quae in enarrando itinere cernitur, aestimandae nondum item consultum est. Neque enim satis est iactare et quasi venditare egregias poëtae virtutes. Eiusmodi laudibus adeo non convincimur, ut dubitatio non modo non evellatur ex animis sed incendatur. Audimus sane Fritzschium aliosque de vera illa voluptate, qua Horatius perfusus esse dicitur, magnifica facientes verba („wir ergötzen uns an der jugendlichen wahren Reiselust, welche sich durch das Ganze ergiesst“); res omnino secus videtur se habere. Non modo nulla eminet in poëta voluptas et laetitia, sed etiam invitum Roma ex urbe magna ad itineris molestias fatetur se extractum. Verum est nos et ipsos laboribus itinerum peractis incommoda angustiasque quibus defuncti simus ridere multosque inde iocos facetiasque capere solere; veruntamen talia accedunt quasi additamenta et corollaria quaedam; apud Horatium nihil invenies nisi nugas vix dignas, propter quas iter tam longinquum aut suscipiatur aut enarretur. An vero locorum amoenitate poëta delectatur? Vix vv. 10. et 26. aliquid occurrit, in quo vestigium huius rei deprehendas. Identidem crepat cauponas, quasi nulla re alia poëtarum animi incalescant. At enim cum ardore quodam animi novo et in hoc poëmate inaudito mentio fit de amicorum occursu et complexu v. 39 ss. Concedo. Sed hoc idem est documento, ipsius itineris aegerrime poëtam tulisse incommoda, gaudia ex peregrinando percepisse nulla. Quid quod ioci quibus haec poëmata (I, 5. 7. 8.) ornantur ii sunt, qui vix calonum lixarumque auribus blandiantur; tam vel obscoeni sunt

vel putidi, ut quid inter elegantissimorum illorum et nautarum iudicium interfuerit statui difficillime posse videatur.

Quid facerem? condemnarem tria ista velut ingenii iuvenilis fructus praematuros? At ne hoc quidem acquiescere potui solacio. Iterum igitur decrevi experiendum, si forte in his quoque poëmatis atque imprimis in quinto vestigia quaedam ingenii cernerem Horatii, quae ut inesse nunquam dubitaveram ita frustra adhuc indagassem. Sic factum est ut poëma tot virorum illustrium doctrina et industria explanatum et commentariis instructum denuo sumerem exponendum*). Ipsum igitur opus poëtae et imprimis quidem satiram quintam libri prioris inspiciamus, quam si absolverimus de septima et octava ad calcem pauca subiungenda erunt.

Neque qua re impulsus consilium ceperit iter faciendi (nimirum consilium omnino non cepit iter facere sed iussus est), nec quomodo quae sunt in itinere usui necessaria paraverit (quae omnia nullo poëtae labore Maecenatis iussu suppeditata sunt), nec quam laeto animo et fervente diem exspectaverit, quo urbis fumo strepituque (c. III, 29, 12) relicto loca Italiae amoenissima repetiturus esset (videlicet perquam invitus urbe discessit), ne verbo quidem memoratur. Quae omnia missa facit poëta atque ipsam profectionem quasi consulto praeterit silentio, quippe qui ne a proficiscendo quidem sumat exordium sed ita ut iam profectus esse videatur (e g r e s s u m —). Ne vero dubites non suo adductum esse consilio sed iussum esse proficisci, non tam quid ipse fecerit quam quid de se factum sit refert (m e e x c e p i t A r i c i a). Iam mirum

---

*) Nam cum eorum qui vel omnia opera poëtae vel sermones ediderunt prope nemo non aliquantum ad hanc quoque attulerit satiram, tum non defuerunt qui in hoc praecipue poëmate illustrando elaborarent. Inter quos exteri complures, Itali et Francogalli, Romanelli, Walckenaer, Dejardins (quorum opp. vide in commentariis obviis laudata), de rebus potissimum topographicis disputaverunt, Kirchnerus noster tempore itineris Brundisini certissimis rationibus constituto summam meruit laudem. W. Proessel (de Horat. itinere Brundis., progr. Freiberg. 1853) nihil se nisi quae iam a viris eruditis satis commode essent tractata composuisse, quibus ostenderet qua ratione gymnasii discipulos in accuratam carminum Hor. cognitionem induci vellet, ingenue fatetur. Permultae praeterea adnotationes, quarum magnam partem me fugisse credo, per annales grammaticorum dispersae ac sepultae sunt. Neque tamen ad enarranda Horatii opera inopia auxiliorum, sed prope abundantia laboramus. Quamquam ubi omnibus undique armis pugnatum est, duo supersunt loci ardui et quasi munitissimi, quos oppugnantium artibus cum fortasse nunquam spes sit posse expugnari, tum ego quidem, ne id speretis in quo satisfacere vobis minime potero, nihil admodum me auxilii adlaturum esse praemoneo. Intellego autem nomen illius oppidi nescio cuius, quod versu dicere non est, signis perfacile est (v. 87), et prunae illud vatillum (an batillum?) v. 36. His igitur locis, de quibus adhuc ambigitur, quoniam nihil potero novae lucis affundere, in ceteris qui nihil habent difficultatis si desudabo, vereor ne ligna ferre videar in silvam. At plures sunt poëtas exponendi rationes, quarum ut nullam ulli esse fructui nego, ita hac quoque via, quam nos ingrediemur, ad id quod propositum est, ad poëtae virtutes rectius aestimandas propius accedi posse spero.

fortasse si cui videatur, Romam urbem celeberrimam, cuius de magnitudine non potuerit dubitari, attributo (magna) laudari, Ariciam ignobile oppidulum nullo illustrari adiectivo, in hoc ipso haud mediocris vestigium cernitur urbanitatis. Nam ut in adiectivo (magna) desiderium quoddam elucet eius, qui cum vitae urbanae adsueverit in eo est ut aliquamdiu vitae elegantioris careat commodis, ita inopia oppiduli ne verbo quidem castigatur, immo adiectivo urbi Romae apposito quodammodo excusatur. Excepit autem Aricia hospitio modico poëtam, quem hic non modo non acerrimo sed mitissimo usum esse iudicio arbitror. Nempe quam impatienter itineris ferret incommoda cum nollet primo die manifestum esse, indulgentius iudicare maluit quam acerbius. Ceterum quoniam non qua ex parte male consultum sit advenis (ut lectis, potione, epularum apparatu) commemoratur sed universum hospitii notatur genus, poëtam copiae et abundantiae rerum minus quam elegantiae et munditiae tribuisse apparet. Hoc igitur in exordio etsi nihil inest laetitiae vel ardoris animi, at tamen cum patientia atque aequitate ut in iuvene singulari, immo non sine iocosa quadam animi temeritate, qua incommoda prope invitantur, quippe quibus querelae vel amarissimae purgentur, quidquid fortuna eveniet videtur toleraturus.

Quae sequuntur (rhetor comes Heliodorus) plerumque pro parenthesi habentur. Sed tam obiter nomen tangere comitis, quamvis poëtam libero in hoc genere librorum sermone usum esse statuas, adeo non est urbanum, ut in Horatium, qui quanti morum duxerit elegantiam nemo ignorat, vix videatur convenire. Accedit quod eiusdem nullo infra loco (post v. 5.) mentio infertur. Quae cum ita sint, Heliodorum non per totum iter sed per aliquam partem, nonnullos fere si multum statuitur dies, poëtam comitatum esse suspicor. Quod si ita se habet, non verbum „erat“ vel „fuit“ sed „excepit“ subiungendum esse censeo, ut haec sit structura: egressum — me excepit Aricia; (ibi) rhetor comes H. sc. me excepit; — — inde Forum Appi sc. me excepit. Sed fac, v. 2. „erat“ vel „fuit“, non „excepit“ supplendum esse; nihilo magis Heliodorum ab urbe Roma per totum itineris spatium poëtae secutum esse societatem, id quod ipso numero illo singulari (v. 1. egressum) redarguitur, consentaneum est. Idem cum rhetor appellatur, utrum ab aliis distinguatur Heliodoris an velut homo laudetur notissimus, discerni nequit. Quod utut est, cum magna sine dubio viatorum multitudine scateret Appia, quem poëta nominatim commemoravit, eum certe comitem haud parvi duxisse existimandus est. Quid quod idem Graecorum longe doctissimus dicitur. Etenim Graeci cum universi, si cum Romanis componerentur, doctrina multo viderentur praestare, qui Graecorum longe iudicatur doctissimus, quod eum fastigium doctrinae assecutum esse censebimus? Sed vide ne haec laudatio tam eximia quid habeat petulantiae. Nempe Horatius omnium Graecorum erudi-

tionem ita explorare, ut quis doctissimus esset certo sciret, nullo modo poterat. At enim cura tam sollicita tristisque in laudando non requiritur. Concedo, si amicum laudamus. Si quis vero nullo nobis iunctus est vinculo familiaritatis, eum nimiis efferre laudibus haud multum discrepat a calumniando. Sequitur ut familiaritatem inter poëtam et rhetorem intercessisse statuamus, atque haud scio an poëta amicum, cuius ipse eruditione haud dubie plus semel obstupuerat, leviter hac laudatione ulciscatur.

Protinus poëta brevitatis ita studiosus, ut nihil prope nisi summa quaeque, loca dico ubi pernoctatum sit, attingat, Forum Appi pergit, differtum i. e. ita repletum, ut quasi nulla relicta sint intervalla, nautis cauponibus atque malignis. Is igitur, cui nihil solitudine gratius, inter turbam vulgi sordidissimi versari cogitur. Ceterum nautae nullo notantur adiectivo, caupones malignitatis distinguuntur opprobrio. Nimirum nautarum genus ubique eiusdem fere erat rusticitatis, caupones iis locis, quo nautarum maxime advenarumque turbae confluerent, ceteris longe fraudulentia antecellebant.

Sed vide quantum insit leporis in hac prope arida enarratione. Roma magna ex urbe quasi vi extractus primo in oppidulo Aricia hospitio modico sed ibidem a comite doctissimo exceptus mox Forum Appi pervenit diff. naut. caup. atq. mal. Aricini igitur hospitii solacium fuit quod comitem invenit doctissimum. Sed ne triumpharet, mox in eum incidit locum, ubi vel ei qui Ariciae vitam transigere cogeretur invideret.

Quid vero? nonne iam advenisse videtur poëta Forum Appi? Sed itineris, quo huc pervenerit, mentio fit v. demum qui sequitur (5). Proleptice igitur locum descriptum esse censebimus. Quaeritur autem, utrum famam qua locus inter omnes insignis fuerit secutus sit an qualis ipsi oblata erat talem effinxerit speciem. Neque aliis locis ut Capuae famam sequi poëtam videmus et h. l. ex nimia ac certe iniqua castigatione (diff. — malignis) poëtae ipsius iudicium elucet. Restat ut poëtam temporis ordine non subtiliter servato res singulas prout earum in mentem veniret memorasse existimemus. Sed iam a Foro Appi ad iter, quo huc pervenit, redeundum est. Quod plerique interpretum, si non omnes, ab urbe Roma usque ad F. A. uno die confici potuisse censent. Sed Forum Appi ab urbe Roma 36 m. p. (i. e. plus 7 m. geogr.) distat, quantum non modo poëta sed etiam Maecenas, Cocceius, cett., nunquam nisi extremis itineris diebus emensi sunt. Tam longum iter si quis dividit, eum ignavum dicendum non esse apparet. At enim ironice se accusat. Quid? etiam Maecenatem, Cocceium, ceteros, qui et ipsi haud plus 20 fere vel 25 m. p. singulis conficerent diebus? An vero „hoc iter“ ad intervallum quo F. A. ab Aricia abest ita referendum est, ut medio nescio quo loco altero die pernoctasse, tertio demum Forum Appi pervenisse existimandi sint? Quod quidem crederem, nisi moris videretur

esse poëtae loca quibus pernoctatum sit omnia nominatim memorare. Superest ut iter ita divisum esse credamus, ut circa meridiem aliquot fere horas requiescerent. Cum plerumque singulorum dierum itinera velut uno tenore confecta esse videantur, Horatius cum comite huius diei ita sustinuit molestiam, ut priorem partem mane, sub vesperum posteriorem susciperent, praesertim cum hospitium Fori Appi, quo tendebant, non id esset, quo quam maturrime advenire festinarent. Sic quoniam hic locus difficultatibus aliter insuperabilibus extricatur, non est quod Acronis scholiastae auctoritatem biduo ventum esse ab Urbe Forum Appi, *cum velociores uno die eo solerent venire*, asserentis sequamur. Deinde quaeri potest, cum iter se divisisse refert (hoc iter ignavi divisimus), utrum de se uno an de se et de Heliodoro comite scripserit. Sed non modo usus numeri plur. loco singular. perraro apud Horatium invenitur (ut epist. I, 10, 1: Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus Ruris amatores), sed etiam, quoniam proxime de comite fecerat mentionem, non est cur hoc loco de uno ipso cogitemus. Quamobrem si ad duos verbum (divisimus) referendum est, illud supra appositum (Graecorum longe doctissimus) hoce (ignavi divisimus) non minus iocose dictum esse iterum probatur. Ignaviae vero, quo opprobrio homini Romano gravius non poterat obiici, vel se vel amicum accusare nemini ne per iocum quidem licet nisi eis, in quos ignaviae probrum profecto minime cadere inter omnes constat. Mox ignavis festive opponuntur altius praecincti, quasi vestimento vel velocitas vel tarditas debeatur ac non Horatio comitique et ipsis altius praecinctis incedere licuerit. Sed hac potissimum via egregia cum procederent, quid fuit quod iter dividerent? Haud scio an ut supra dixi cavere voluerint ne maturius quam necesse esset ForumAppi (diff. cett.) advenirent. Ceterum ipse fatetur poëta minus gravem esse Appiam tardis. Quod quid sibi velit vehementer dissentiunt interpretes. Alii Appiam propter magnos quibus structa erat ac durissimos lapides molestam fuisse, alii aequalitate quasi campestri taedium movisse arbitrantur. Qua de re quoniam vix satis quidquam compertum est quod sequamur, poëtam quod de qualibet via dici possit de una eaque singulari opinor dicaciter iudicasse. In hoc igitur ipso quod Appiam carpit viam ludit poëta; quasi non omnis (quaevis) via gravis sit tardis! Nimirum ne Appia quidem desinit via esse i. e. tardis molesta. Ceterum poëta, postquam hucusque ea solum quae perpessus erat tradidit (me excepit Ar., rh. com. Hel., inde F. A.), hoc primum loco quid ipse fecerit memoriae tradit. Primum igitur in itinere consilium cepit quiescendi, quo quam facete suam ipse deriserit pigritiam quis non intellegit? Tanti autem haec res est, ut duo in ea versus eique haud sane putidi consumantur. Nunc demum ad ea quae Fori Appi feruntur evenisse reditur.

(v. 7.) Hic ego propter aquam — indico bellum. Tot molestiis exactis, in quibus nescio an spes epuli lautioris non-

nunquam fuerit solacio, ieiunium indicitur. Quid ita? Num forte, ubi fatigatus advenit, tantum hausit ut aegrotaret? At hoc neque continentiae Horatii simile est neque in versibus ullo modo indicatur. An cibi omnes aqua ita erant corrupti, ut gustare eum taederet? Quod si ita esset, delicatioris ceteris poëta fastidii iudicandus foret. An cibo abstinuit, quo facilius sitim toleraret? Vero id quidem simile, si modo cur Horatio sitis magis quam ceteris timenda fuerit explicaveris. Sed vide num sic facillime quod quaeritur liceat expedire. Comites, quos aquae taederet, merum poterant bibere, id quod Horatio oculis laboranti ne malum ingravesceret non item licebat (v. 30. 49. Celsus VI, 6 lippis quietem et abstinentiam commendat. v. Dillenburger. ad v. 49.). Hanc inediam quam aegre tulerit quo facilius intellegatur, bellum se ventri indixisse ait (bellum, in quo ne vincaris acriter dimicandum atque etiam capitis periculum subeundum!). Quod certamen quo gravius fieret nullo perferendum fuit socio (ego — — indico). Nec fortitudinem simulat tranquillitatemque animi, quam se minime servasse libere fatetur (cenantes haud animo aequo exspectans comites). At neminem adhuc novimus comitem nisi unum Heliodorum. Itaque qui h. l. dicuntur comites a plerisque putantur ii, qui mox eandem cum poëta lintrem conscensuri sunt. Sed ab ipsa Urbe haud paucos credo iter una fecisse, quorum sane neminem poëta nisi unum dignum habuit quem nominatim commemoraret. In usu temporum mirum quod non solum praes. pro praeterito ponitur sed etiam praeterit. pro praes.: indico, non indixi, — sed erat deterrima, non est, tametsi foeditatem aquae bello illo Horatiano longiorem fuisse certissimum est. Scilicet quid ipsi fecerimus vel facere animum induxerimus magis nobis quam res quales fuerint in promptu est. Sed ne quod pluris est praeterire videamur, quid fuerit cur poëta sponte sustineret inediam, iterum quaeramus. Num forte tam gulosus fuit, ut omnia praeter pavonem rhombumque fastidiret? Minime id quidem. Cum potaret, viliore vini genere (c. I, 20), cum cenaret, malvis cichoreisque (c. I, 31) contentus, aquam cavet deteriorem, aquae igitur de genere subtilius videtur iudicare, quod fastidium, opinor, ne cynico quidem philosopho probro sit vertendum.

Sed quamvis iniquo animo cena abstineat, caeli nocturni amoenitate solitudinem consolatur. Hinc cum sero Forum Appi adventum esse appareat, iter ut supra diximus divisum esse comprobatur. Iam non umbra sive nox inducitur (passive), sed nox ipsa umbram, quamquam nihil h. l. interest inter noctem et umbram, ut Neptunus mari praeest, sic, inquam, nox umbras (num. plur. quasi alas, quibus mater pullos fovet) inducere (quasi fomenta membris) parat (velut consilio capto) terris — non propter se unum gaudet poëta diei aestum noctis refrigerari umbra, qua omnibus animantibus defessis atque ipsis terris quies affletur ac solacium. Accedit quod mater benigna, quae non solum fovet

parvulos sed etiam delectat, signa diffundit caelo. In quo, nisi fallor, iocosa quaedam subest similitudo caeli terrarumque; locus enim, ubi poëta tum ipsum versatur, differtus est nautis cauponibusque; in caelo signa sunt diffusa. Ceterum haec signa sive serio admiratus est sive ita ut velut alii curas vino sic ioco quodam falleret inediam, ex caeli certe luminibus i. e. ex rerum natura contemplanda solacio petito taedium vicit. At hae solitudinis voluptates mox discutiuntur.

(v. 11.) Tum pueri nautis —. Et chiastice et anaphorice (s. v. v.!) nomina ponuntur; anaphor.: pueri, deinde nautae, iterum pueri, postremo nautae; chiast.: nom., dat., dat., nom. Nimirum huc illuc clamores feruntur neque ordine neque ita ut ab una tantummodo parte in alteram ingerantur convicia (sed utrimque utroque). Infin. histor. (ingerere) quasi pingit turbam, in qua nemini est curae ut verba nominibus ut aequum est accommodentur. Ac plerique hunc locum ita interpretantur ut omnia dicta (huc appelle! trecentos inseris! ohe! iam satis est) a pueris credant proficisci. Etenim in his: trec. inser. iam sat. e. curam agnosci puerorum, qui ne dominis molestiae fiant caventes nautam moneant, ne plures quam navigium capere possit conscendere patiatur. Quod quidem si ita esset, ut pergratum facere pueri dominis niterentur, non esset profecto, cur poëta de eiusmodi conviciis quereretur. At longe abest ut tam solliciti prospiciant pueri commoditatibus dominorum. Num vero nautae, qui quo plures in navigium recipiebant eo plus facerent lucri, ipsi repulisse advenas censendi sunt? At nauta dubium est num idem fuerit lintris dominus et possessor. Sed fac eundem dominum fuisse. Num forte vectuarii (ital. vetturini), quorum ex concursu permultum faciant lucri, eos qua decet cura et urbanitate advenas solent observare? Puerorum autem retulisse convicia, nautarum quasi indecentiora fuerint reticuisse eum, quem infra 51—70. et Sat. I, 7. asperrima genera iocorum memorare iuvet, neutiquam probabile est. Quamobrem illud: huc appelle! a pueris, cetera: trec. inser. ohe! iam sat. e. a nautis dicta putemus. Sic conviciantium genera bene distinguuntur. Pueri suadent: huc appelle, quasi quo optime linter appellatur magis ipsi quam nautae intellegant. Est enim omnino puerorum peritiores omnium rerum maioribus sibi videri. Nautae non solum multiplicando modum longe excedunt (triginta vel quadraginta, opinor, aderant lintrem conscensuri, quos trecentos esse nauta crepat) sed etiam quam parvi faciant advenas, quo in numero haud raro viros fuisse perillustres credo, non dissimulant. Idem mox ex eis quae de tarditate proficiscendi traduntur elucet. Dum —, dum —; plura igitur priusquam iter navale ineatur peragenda sunt. Mula, quae iam dudum poterat ligari, nunc demum non properanter sed summa cum socordia iungitur, quasi satis vel abunde sit temporis. Similem in modum aes exactum esse credemus. Quid autem? Poëta, qui alias temporis haud ita parcus

esse videatur (supra v. 5. iter ignavi divisimus. Sat. I, 6, 122: ad quartam iaceo, post hanc vagor), cum h. l. totam abiisse horam lamentatur, sui ipse non est dissimilis? Videlicet his rebus horam abire indignatur velut mula liganda, aere exigendo, in quo quam non is fuerit qui patris exactoris susciperet negotia (tametsi ipse profitetur: neque ego essem questus Sat. I, 6, 87) apparet. Neque hac exacta hora finis adest malorum. Mali culices ranaeque palustres —. Palustres, opinor, non modo ranae sunt sed etiam culices, mali culices tantum, non ranae, quae nisi quod aures cruciant iter non faciant molestum. A maiore igitur malo ad minus descenditur. Nimirum ex inimicis quam plurimis accusandis mens aegra quasi solacium petit dolorum. Mali cul. r. p. avertunt somnos. Hoc quoque loco poëta non sibi soli sollicitus est (ceteris enim quos Fritzschius attulit locis de plurium noctium agitur somno, id quod in hunc locum non convenit). His tot molestiis alia haud sane levior accedit. Absentem (ut?) cantat amicam —. Nautarum et h. l. et infra v. 19. 22. memoratur unus, supra v. 11. plures, aut quia in appellendo et vela dando alii subvenerant aut quia plures Fori Appi erant lintres, quarum una a poëta conscensa iam de ceteris tacetur. De viatore v. quae Dillenb. adnotavit, cui non intellegendum esse mulionem ob id potissimum assentior, quod infra v. 22. ubi poena danda est nihil iam de eo traditur. Num vero viator nescio quis pedibus in ripa propinqua incesserit (ut Kruegero videtur) magnopere dubito. Proximum vero est (quod plerisque placet) de navigantium uno alterove cogitare. Neque usui collectivo repugnat quod in priore nomine (nauta) num. singularis non ponitur collective. Similiter nos duos iuxta ponimus numeros singulares, quorum unus, non duo, collective usurpatur („Kutscher und Passagier"). Iam vero cantu ut plerique mortalium delectantur dulci doctoque, ita aegerrime ferunt incultum. Quod cum de omni cantu iudicandum est, tum maxime in carmina cadit amatoria. Atque absentem quidem cantat (flebiliter igitur) nauta, homo rudis et rusticus, prolutus i. e. ebrius vappa, cuius ipso offendaris odore. Cantant autem nauta atque viator; scilicet si convenisset inter viatores s. vectores, facile poterat nauta vetari ne importunus esset cantu, sed inter ipsos navigantes eheu! sunt qui cum nauta facere malint quam cum comitibus. Certatim: magna igitur voce, utri palma deferenda sit, contendunt.

Tandem fessus dormire viator incipit (17—18). Iam cum ceteros tum poëtam tot fatigatum laboribus somnum capturum esse speramus. Sed quod tam bene videtur accidere, aliud inde malum nascitur. Exemplum enim viatoris nauta imitatur. Quamquam ille fessus itinere, hic nulla re erat fatigatus; illi licebat dormire, hic vetitus erat. Vide autem, ne aut pastu mula careat aut aufugiat quam bene pigerrimus ille prospiciat. Missae pastum retinacula mulae nauta piger saxo (tam caute!)

religat idem, qui minime consulit peregrinantibus. Stertitque supinus; sicut nisi petulans et lascivus nemo procumbit, ita supino corpore prolapsus vel dormiens prae se fert importunitatem impudentiamque. Videtur autem haec figura nautae supino corpore stertentis Polyphemum imitari Hom. Od. *ι*, 371: *ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος.* (Aristoph. Eqq. 104: *ῥέγκει μεθύων ἐν ταῖσι βύρσαις ὕπτιος*, Lucian. Char. 1: *σὺ μὲν ῥέγκεις ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ἐκταθεὶς*, coll. Aristoph. Nub. 5: *οἱ δ᾽ οἰκέται ῥέγκουσιν*, quos Fritzschius confert, haud dubie non minus Homeri secuti sunt exemplum.) Nec tamen id tum ipsum cum accidit poëta observavit, quippe qui ipse somno se dare coepisset (quod nisi ita est, cur nautam obdormiscere non vetuit?), sed postea demum ita factum esse cum cognovisset, epico modo velut si ipse omnia vidisset audissetque refert. Iamque dies aderat, non illuxit, sed iam dudum illuxerat, cum nil procedere lintrem (quasi lintris vitio retardentur! adeo nihil tale suspicantur de nauta) sentimus (num. plur.). Scilicet malum omnes sentiunt, veram medicinam unus isque vix ipse sanus adhibet. Nimirum irasci et saevire nonnunquam plus expedit quam prudenter consulere. Simili loco Sat. I, 9, 12 felicem poëta praedicat iracundiam. Ac mulae nautaeque — neque enim cerebrosi est sollicite quis auctor sit criminis quaerere — caput, quo vehementissime sentimus dolores, lumbosque, partem igitur posteriorem quae latissime patet verberibus, fuste saligno (tenacissimo, qua de causa nos utimur „corylo avellana“ L.) dolat quasi faber artis peritissimus (cf. quanta artium peritia Ulixes ulciscatur Polyphemum Od. *ι* 325 ss. 382—94, de quo loco ipse disputavi über homer. Poesie p. 108.). Sic epica ratione et arma et membra corporis et si quae alia pertinent ad rem memoria dignissimam accuratius cognoscendam depinxit. Quid autem? A viatore, qui et cantando cum nauta concertavit et suo hunc exemplo ad dormiendum invitavit, ne minima quidem poena repetitur. Quid enim? Nobiles divitesque delirant (vel iocantur), nautae plectuntur. Sic poena exacta quarta vix demum exponimur hora. Exponimur, passive, ut v. 1—3 me excepit. Imitatur autem poëta omnino ieiunitatem rerum scriptoris, qui quid factum sit accurate commemorat, quomodo ipse tulerit incommoda tacet. Sed res satis clamat. Ceterum mox laetum gratumque profitetur animum apostrophe: ora manusque —. Lympha eleganter et sollemniter pro aqua, v. Heindorf. ad v. 97. Sive autem prandium sumpturi laverunt, ut Schol. Cruq., sive religionis causa, ut Torrentio videbatur (v. Heindf. ad h. l.), sive recreandi refrigerandique causa, versus utique plenus est laetitiae et pietatis. Toties enim poëta cum in itinere ora manusque lavisset, nullo nisi hoc loco mentionem eius rei facit. Primum igitur, ne quis poëtam carpendo magis delectari quam laudando existimet, qui supra v. 7. aqua offensus putida, hic aqua pura laetus beatusque est. Sunt autem plerique

ii, qui fortunam adversam accusent, secundam non laudent. Nec simpliciter ora manusque refert se lavisse sed ipsam deam alloquitur gratias etiamnunc agens quod illius beneficio tum refectus esset. Rarius enim nobis veteres laudant locorum amoenitates, saepius deorum maiestatem. Similiter Ulixes in patriam reversus non locorum admirari dicitur iucunditatem sed nymphas omnium primum adorare (Hom. Od. ν, 355).

Milia tum pransi tria — —. Prandio post abstinentiam superioris diei ac noctis aerumnas gratissimo sumpto, cuius quasi ceteris diebus impransis exeundum fuerit bene meminit poëta, iter quamvis breve (tria m. p.) tamen arduum non sine labore se repsisse atque subisse ait impositum saxis late candentibus Anxur. Saxis autem late candentibus fit ut subeuntibus contemplandi admirandique sit copia, eisdemque ut quo longior pateat prospectus eo iter magis arduum et molestum esse videatur.

Huc venturus erat — non satis habuit poëta simpliciter referre, huc venisse M. cum C., sed priusquam advenerunt adventuri nuntiantur (tam suspensus est et intentus, ne serius ipse adveniat) — Maecenas optimus*); non cum adulatione prosequitur fautorem sed ita ut amor sincerus et incorruptus eluceat. Venturus erat num. sing.; primo igitur de nullo alio nisi de M. cogitat, deinde addit: atque Cocceius missi —. Qui quo consilio adducti Brundisium petant, ita traditur, ut poëtam nec iam inexorabili odio principes persequi neque omnino in triumvirorum castra transfugisse at certe foederi eorum qui rempublicam prope eversam pacavissent denuo firmando bene velle animadvertamus. Magnis de rebus — nec parvi eas ducit nec de qualibus agatur se perspicere fatetur. Nec tamen omnia ignorare poëtam documento sunt quae sequuntur: aversos soliti — quod referendum esse ad a. 40. a. Chr. bene docuit Kirchnerus (de it. Brundis.). Hinc etsi non necesse est sequi ut de simili iterum disceptetur controversia, tamen licet suspicari foedus illud abhinc triennium ruptum ac restitutum, cum infirmioribus contineretur vinculis, iterum reconciliandum fuisse. Viros illustres, Maecenatem et Cocceium, ita laudat, ut non quid effecturi sint sed id quod pluris est quid effecerint discamus. Quod quam sit modestum, non est cur exponam. Ac vide elegantiam poëtae. Nostrum, credo, quivis, si quid eiusmodi memorandum erat, ita satisfecisset officio ut referret, M. et C. advenisse composituros cett. Scilicet adventus eorum (huc, i. e. Anxur) tanti non est, ut vel adventuri adnuntiandi sint, id vero quod Brundisi agendum erit tanti profecto momenti est ut iure meritoque praenuntietur. Poëtae contra

---

*) Cave iungas cum Rittero: optimus atque Cocceius, quamquam atque haud raro postponitur ut supra v. 4. cauponibus atque malignis. At h. l. nemo cum legeret Maecenas optimus potuit adiectivum a substantivo praecedente separatum ad posterius transferre nomen.

Maecenatis adventus longe pluris videtur esse quam omnia quamvis grandia quae Brundisi absolvenda erunt (venturus erat). In quo incertus sum numquid subesse censeam ironiae.

Sed Horatius cum adventum virorum illustrium exspectet, quomodo fit ut dum suum curat corpus ab illis imparatus inveniatur? Omnium primum animadverte hoc demum loco lippitudinem commemorari, quae quam gravis fuerit nocte imprimis insomni ipso vel dissimulante poëta nemo non intellegit. Deinde illos exspectatione maturius advenisse ipse docet: hic oculis — illinere (infin. histor.). Interea —. Scilicet illinenti superveniunt illi ut salutandi excusandique causa vocem vix queat edere. Quod quam lepide excogitatum expressumque sit, alii (ut Fritzschius) monuerunt. Sed, nisi fallor, eo potissimum Horatius consilio corpus curavit i. e. collyria illevit oculis, ne viri illustres specie horreant oculorum taeterrima. Quo non solum quod voluerat non est consecutus sed longe foedior adspectu evasit. Advenit igitur M., C. atque praeter hos quos exspectaverat Capito Fonteius. Illi, quippe qui cogniti sint legentibus, nulla memorantur laude, hic cuius nunc primum fit mentio ita inducitur, ut qualis fuerit paucis adumbretur. Ad unguem factus homo. Quod quamquam potius de corporis habitu et specie videtur dici (tanto autem magis, credo, poëtam sui paenituit oris adspectus), tamen latius patere non est dubium. Nempe homo tam politus singulariter erat idoneus, qui de amicitia aversorum ageret restituenda. Huc enim spectare poëtam ex eis quae sequuntur manifestum est. Antoni non ut magis alter amicus. Cocceius enim, qui et ipse a. 40. una cum Maecenate et Pollione amicitiam aversorum reparaverat, ob id ipsum pacis et concordiae non minus quam Maecenas studiosus censendus est. Iam vero Capito inducitur Fonteius, quem gratissimum esse Antonio constat. Idem quoniam una cum Maecenate et Cocceio advenit, postquam inter hosce tresviros (legatos dico) convenit, fore ut inter ipsos principes de pace conveniat dubitari nullo modo potest. Sic poëta, qui omnia quae ad rempublicam adtinent minime curare videatur, quam sollicitus timeat patriae, elucet.

Iam de dierum descriptione dubitari potest, utrum ut primo die Ariciae, altero Fori Appi, sic tertio Tarracinae an Fundis an Formiis pernoctatum sit. Quoniam autem circa meridiem demum Anxur adventum est, eodem eosdem die 25 m. p. (5 m. geogr.) post meridiem emensos esse non est credibile. Fundis non esse pernoctatum propterea arbitror, quia minus longe Formiae a Fundis absunt, quam quo lassi (v. 37) inde advenire dicantur. Quamobrem Tarracinae hoc die substitisse existimandi sunt. Fundos fuisse praefecturam, honorem igitur praetoris ab Aufidio immerito arrogari dubium non est (v. locos apud Dillenb.). Qui quam importune viris illustribus sese obtruserit, ex eo ipso licet suspicari, quod Horatius Aufidio Lusco praetore Fundos se liquisse

tradit, veluti M. Tullio Cicerone cos. vel similiter nomine summi magistratus quo annus designatur posito. Rident autem, non acerbe castigant, sed rident non ipsam insaniam, quae sane ridenda non est, sed praemia i. e. insignia scribae insani. Hic potest quaeri, nonne impie invaserit poëta collegarum ambitionem, quippe qui ipse olim eidem ordini fuerit adscriptus. Nec tamen saepius quam par est carpsit scribas. (Sat. II, 6, 36 qui scribae de re communi orant, ut poëta ad ipsos reverti velit, non vellicantur.) Certe autem quantum plurimis eorum inesset arrogantiae saepenumero vidit. Quamobrem id vitium quod etsi non severe vituperat tamen leni perstringit cavillatione, crimini poëtae dandum non puto. Iste vero insanus, id quod minime viro dignum, vestitus insignia ut praetextam, latum clavum (senatorium) iactat et ostentat. In prunae vatillo s. batillo omnes haerent interpretes. Proximum videtur vero vas fuisse ad sacra facienda, sacerdotum igitur insigne. Huius scribae insaniam ita indignantur amici ut manere nolint. Iidem, qui alias iocis incultis atque impolitis ut infra Sarmenti Messique conviciis magnopere delectantur, huius fugiunt arrogantiam. Quamquam et ipsum rident, non ut rigidi virtutis custodes increpant; sed arrogantia brevis risum movet, eadem si non exuitur sed etiam atque etiam inflatur taedio est atque indignationi. L i b e n t e r l i n q u i m u s. In his et simile inest et contrarium. Similis sonitus est (alliteratione s. v. v.!), vis vocum contraria (l i b e n t e r studium significat, l i n q u e r e satietatem).

Mox lassi Formias adveniunt. Sunt autem quodammodo contraria urbs Mamurrarum et lassitudo. Scilicet Mamurram notum fuisse helluonem docet Catull. XXIX. LVII. Venerunt igitur quasi surdi ad tibicines audiendos vel caeci ad tabulas pictas admirandas. Lassitudo enim corporis, quippe quae efficiat sobrietatem, libidinibus infesta est. Sed quod unum cupiunt lassi ut quiete corpora reficiant, hic eis contingit: m a n e m u s (supra: linquimus, nunc non solum: pervenimus, sed: manemus). Nec cetera quae ad victum pertinent desunt: M u r e n a p r a e b e n t e d o m u m, C a p i t o n e c u l i n a m. Duobus igitur certantibus uter reciperet advenas convenit, ut utriusque uterentur hospitio. Ibi quam bene lauteque et habitatum et cenatum sit, ne verbo quidem indicatur. Poëtae enim non tam ciborum potionumque abundantiam quam munditiam elegantiamque apparatus cordi esse satis scimus. Idem summa eos laude prosequitur quorum nomina tradere satis sit, ut quam egregio advenae recepti sint hospitio intellegatur.

P o s t e r a l u x o r i t u r m u l t o g r a t i s s i m a (v. 39.); quamquam ipsam lucem similiter ortam esse credo atque ceteris diebus. At longe aliter poëta, cui non modo quod hoc factum est die sed ipse dies non ex ea demum hora, qua amici occurrunt, sed nunc recordanti iam oriens multo gratissimus est. Quid autem? diu poëta amicos desideravit? quod, si ita esset, certe, opinor, addidisset. His igitur paucis diebus, etsi nihil adhuc con-

fessus est, toties arsit desiderio. Plotius et Varius — Vergiliusque, iidem qui Sat. I, 10, 81 laudantur, tresviri et ipsi ut illi, de quibus supra dixit, Maecenas, Cocceius, Capito Fonteius, nec minus quam ipse Horatius poëtae (vera enim amicitia esse non potest nisi inter eos qui vel communi quadam sorte vel studiorum consensu coniuncti sunt) occurrunt (non obviam eunt, sed improviso obvii fiunt). Quos etsi veri non est simile casu supervenisse, poëtae tamen quasi a deo quodam huc deducti occurrere videntur. Occurrunt autem Sinuessae; locus ipse ob id quod ibi accidit gratus est ac loci nomine res saepe in memoriam revocantur. Animae quales —. Ita enim gaudio exsultat poëta, ut etsi non solum ipsi sed etiam eis quorum gratia haec scribitur satira haud sunt ignoti, quid debeat amicis, quid maxime in eis diligendum admirandumque sit, non possit non profiteri. Diligit autem eos non propter ingenii acumen nec propter iudicii subtilitatem nec propter copiam artium et eruditionem sed omnium primum ob sinceritatem candoremque animorum: neque candidiores terra tulit. Summa enim quaeque, quae super humana et humilia nos extollunt, quam sit brevis vita quamque caduca sors mortalium admonere nos videntur. Sic cum de amicitia magno illo bono agitur, terrae ei huiusce angustae in mentem venit i. e. vitae humanae brevitatis. Diliguntur autem amici non propter suas tantum virtutes sed etiam propter officia, quibus optime de nobis meruerunt (neque quis me sit devinctior alter). Tam vero singularis illa erat laetitia, ut ipsa recordatione animus poëtae vehementius moveatur nec facile possit hunc locum relinquere. O qui complexus et gaudia —! Complexui quod gaudium postponitur, ὕστερον πρότερον potest videri. Gaudio enim imbui ante necesse est animos, quam in complexum festinent. Sed gaudia h. l. voces sunt gaudentium. Quod etsi non concedis, cum amici occurrunt, omnium primum inter sese complectuntur, deinde demum dum sermonibus satiantur summam capiunt animorum voluptatem. Cuius autem complexus, cuius dicit gaudia? Scilicet sua, inquis, quoniam, si amicorum intellegeret gaudia, timeo ne arrogantius loqueretur, quasi permagni ab amicis duci sibi videretur. Sic vide ne subtilius iudicaveris quam verius. In amicitia quid liceat quidque vetitum sit tam sollicite non distinguimus, sed ut ipsi amore amici delectamur, ita nos et ipsos amico gratos esse non dubitamus. Denique ne his quidem contentus addit: nil ego contulerim —. Iam ex ardore animi et quasi elatione ad tranquilliorem descendit contemplationem: contulerim; confert igitur et comparat plura genera bonorum, quorum amico nullum praestantius esse intellegit. Iucundo — tu fortasse scriberes: fideli, ac recte tu quidem. Sed de fide Horatius ut omnes fere iuvenes nondum dubitabat. Fidem, virtutem illam usitatam, vel a servis requirendam, ingenuis adulescentibus inculcandam non esse credunt. Sed iucundus sit amicus, iuvet animum,

tristitiam depellat! Addit autem: sanus. Videntur igitur tempora fuisse, quibus quantum esset amicitia bonum non satis se intellexisse fateatur. Amico num. singul., quamquam tres occurrunt amici (concr. pro abstr., amicus loco amicitiae? Rectius fortasse: quo ardentiore tenemur amore, eo magis unum amamus, non plures). Ceterum vide, quanto gratior sit poëtae horum adventus triumvirorum quam illorum de quibus supra v. 31. 32. dixit. Neque vero ita rem se habere dubitavit aperte confiteri, id quod laudi Horatio non magis est quam Maecenati.

Occursu amicorum itinere parumper retardato in villulam, quae proxima erat ponti Campano, confugerunt. Villula (deminut.) mediocritatem significat hospitii in quo nihil admodum nisi quod dicit inveniebant: tectum. Parochi autem, qui ne advenarum libidinibus servire et plura quam ad victum necessaria sunt suppeditare cogerentur lege cautum erat, hac lege tam scite utebantur, ut nihil plane nisi quod lege praescriptum erat exhiberent. Nec tamen poëta queri videtur sed laetari; villula quod in hospitio requiritur tectum praebuit, parochi quod lege praeceptum erat quin conferrent non recusaverunt; quid igitur erat quod quereretur? Qua laudatione quam facete hospitium perstrinxerit, non est quod doceam.

Hinc igitur, quo maturius Capuam urbem opulentissimam adveniant, mane proficiscuntur. Sic muli — clitellas tempore ponunt. Muli autem qui sarcinas portabant quod commemorantur, inde cave ne iter hoc die non pedibus factum esse suspiceris. Omnibus contra his diebus pedibus iter factum esse nulla licet ratione infitiari. Hinc — ponunt breviter, sc. hinc profecti ponunt, hinc perventum est —. Mulis autem gratissimam credo maturitatem fuisse adventus. Homines enim in urbe amplissima nihil prope quo delectentur inveniunt, quippe qui quid agendum sit incerti esse videantur. Nimirum omnibus rebus quae nos visu digna habemus, ut tabulis pictis, marmoribus, neque homines Romani magnopere delectabantur et Roma urbs ita abundabat, immo domus hortique privatorum ita erant repleti, ut Romani tum illustres extra Urbem, si Graeciam, Siciliam Asiamque exceperis pauca quae oculos in se possent convertere viderent. Maecenas igitur lusum it non ut interpretibus videtur quo corpus exerceat, quod in itinere satis agitatum esse opinor, sed taedii depellendi causa. Cui quod Horatius et Vergilius in ludendo desunt, est profecto quod excusetur. Namque pila lippis —. Lippis ut Horatio oculorum intentio, crudis ut Vergilio membrorum motus celeriores fugiendi sunt. Quid autem lippis et crudis (num. plur.)? Scilicet iuvat poëtam quasi partes sumere magistri rei medicae periti, qno magis suam purget inertiam. Ceterum finge animo, lusisse Horatium et Vergilium, Maecenatem dormisse; nihil hac de re poëtam commemoraturum fuisse mihi quidem persuasum est. Sic vero Maecenatis elucet alacritas et vigor, poëta-

rum ignavia atque inertia (cf. supra v. 6. minus est gravis Appia tardis, ubi non minus suam carpsit inertiam).

Hinc nos Coccei — plenissima villa. Uno laudat adiectivo hospitii abundantiam atque elegantiam. Similiter c. II, 12, 24: plenas — Arabum domos. IV, 12, 24: plena dives ut in domo. Ceterum v. quod supra ad v. 7. et modo ad v. 38. adnotavimus. Accedit: quae super est Caudi cauponas. Quo additamento ut certius ubi sita sit illa Coccei villa indicatur, ita mireris sic loqui poëtam: super Caudi cauponas, non super Caudium oppidum. Videlicet gaudet ac sibi comitibusque gratulatur, quod illa ipsos villa recepisset, quo cautum esset ne in cauponarum ullam confugere cogerentur. Quae quamvis propiores essent a via, libenter credo ad villam Coccei ascenderunt.

Nunc mihi paucis — ut in Odysseae prooemio, in quo poëta a Musa non petit ut sibi nomen illius viri calamitosissimi indicet quasi ipse eius sit ignarus, sed (μοι dat. ethic., ἐννέπειν canere, cantare): fac mihi (μοι) gratum ut virum illum cantes s. cantare velis (sc. non mihi soli sed omnibus qui talia audiendo delectantur); quod obiter monui, quoniam in Odysseae commentariis nihil hac de re video adnotatum. Hoc vero loco huiusmodi prooemium hac in re et in hoc hominum genere plenum ioci esse quis non intellegit? Iubet autem Musam memorare pugnam (qua nihil certe carmine dignius epico) Sarmenti scurrae Messique Cicirri. Ac Sarmentus quis fuerit parum constat. Schol. Iuv. V, 3 p. 229 (ap. Fritzsch. ad v. 55.) si sequimur, servus olim fuerat M. Favonii, cuius vidua (Sarmenti domina) superstes erat, quo proscripto Maecenati addictus ab hoc manumissus sed liberti (scribae an scurrae? v. 52. 66.) apud eum loco erat. Aliis ut Kruegero uterque a Cocceio γελωτοποιός videtur introductus. Quod utcunque est, qualis fuerit homo, Horatius in dubio non relinquit cum dicit: Sarmenti scurrae. Pariter Messii nomini cognomen apponitur Cicirri, quod idem significat atque ἀλεκτρυών (κίκιρρος = Kikriki, calumniator? Schreihals?). Quo patre natus uterque contulerit lites. Lites conferri velut signa egregie convenit in pugnam. Et quo patre natus uterque pugnantium in aciem descendisset, ab epicis opinor poëtis qui post Homerum fuerunt summopere esse quaesitum. Fritzschius bene laudat Apoll. Rhod. Argon. I, 20. At enim Horatium, qui et ipse nobilibus ortus non esset maioribus, nonne dedecuit, homines obscuro natos loco propter generis deridere ignobilitatem? At longe poëta aliter ipse se gessit. Adeo enim sui non immemor erat generis humilitatis, ut honores in republica petere non auderet. Hanc eius modestiam, quae in proxima imprimis satira (I, 6) aliisque locis cernitur, cognosce, quo facilius cur multorum tam acerbe castiget arrogantiam perspicias. — Messi clarum genus Osci. Quod si ita iungis: clarum est genus Messi Osci (genet. sing., berühmt ist das Geschlecht des Oskers Messius), non Messio magis quam generi eius

nescio cui illudi videtur, quod cur derisui sit non liquet. Itaque iunge: clarum Messi genus Osci (nomin. pl.) sunt. Nunc quam dicaciter poëta loquatur manifestum est. Scilicet Oscorum gens ita degeneraverat, ut existimatione hominum non iam satis floreret. Sed etiamtum iidem salibus quibusdam quasi insitis admirationi erant (cuius rei ludi Osci, Atellanae, documento sunt). Sarmenti domina exstat. Confitetur igitur poëta, non iam eum servum esse sed manumissum, tamen fuisse servum. Ab his (i. e. nullis) maioribus orti ad pugnam venere, utrimque quasi in arenam descenderunt. Non fortuito igitur vel casu quodam inter cenam, ut fit, altercatio est conflata, sed consilio instituta (ad pugnam venere i. e. eo congressi sunt consilio ut pugnarent), sicut omnino in conviviis γελωτοποιοί, scurrae, tibicines, alii id genus homines convivas solebant delectare. Atque sic rem se habere censeo, sive Sarmentus Maecenatem comitatus est sive a Cocceio inducitur. Fac enim eum scurrae loco Maecenatem secutum esse, quo maior esset voluptas epulantium, institui potuit, ut famulus hospitis et Maecenatis comes pugnam conserere ridiculam iuberentur.

Prior Sarmentus —. In quo agnosce poëtam indolis humanae peritissimum. Pumilionis enim est irae esse impotentem, hominis robustioris et grandioris statura patienter ferre furorem alterius et aequo exspectare animo dum ira homuncionis deferbuerit. Equi te esse feri similem dico. Quid ita? Fritzschius crines hominis incomtos iubis putat equinis comparari volitantibus. Potius fortasse de fremitu equorum cogitandum dentibus frendentium, quos iracundi videntur imitari. Sed tamen neutrum convenit in eum, qui primo immotus convicia audit adversarii, postea demum lacessitus caput dicitur movere. Quamobrem Doederlinus h. l. (56—59) equum illum fabulosum monocerotem intellegendum esse iudicavit, de quo Plin. N. H., Aelianus, Aristoteles (v. locos apud Doed. in adnotatione versioni metricae adiecta) disputaverunt. Quod ob id ipsum optime quadrat, quia mox ad cornu in fronte adversarii natum sed exsectum transitur. Quamquam num equi feri nomen ad illam belluam fabulosam nemini visu, omnibus auditu tantum cognitam veteres retulerint poëtae lectores, dubitari posse non infitior. Quodsi de equo nostro (non de fabuloso) cogitandum, qui plerumque timidus esse solet, quae inter hunc est et inter Messium similitudo? Nempe ea ut uterque, quamvis aliquamdiu immotus consistat, nullum rationis sequens praeceptum et suo fretus robore quidquid obstat ruendo prostraturus ac profligaturus esse videatur. Eadem utendum est interpretatione, si v. 56. s. ad equum ferum referre licet, quod ut malimus versus ut supra diximus proximus, quo frons ridetur cornuta, suadet. Hoc igitur certaminis exordio gravissime adversarium Sarmentus vulneravit neque ipse quam atrociter illum vellicaverit ignorat (dico). Humanitatis enim omnino eum expertem esse ait et

belluis, non hominibus adnumerandum. Quamobrem ceteri qui adsunt rident (ridemus ut Sat. I, 7, 22: ridetur ab omni conventu). Rident autem (non derident vel irrident) nec Sarmentum nec Messium, sed vulneris credo quo pugna ab illo capessatur gravitatem. Messius ne tum quidem admodum turbatus: accipio, inquit, sc. non comparationem, ut Dillenburg. videtur, sed provocationem, ut Heindorfio. Similiter, quamquam vix rectius, Fritzschius: „ich lasse es gelten, zum Zeichen, dass er auf die Sticheleien eingehen wolle“. At quo loco conviciis Sarmenti Messius ita respondit, ut eisdem comparationibus uteretur vel similibus? Caput et movet. Bene confert Heindorf. Hom. Od. ϱ 465, ubi Ulixes scabello ictus ἀκέων κίνησε κάρη κακὰ βυσσοδομεύων. Atqui sapientissimi callidissimique viri motus gestusque asperrimus homo et rigidissimus si imitatur, non ridere non possumus.

Mox altero hostem impetu Sarmentus petit: O, tua cornu ni foret exsecto frons —, quo eum convicio ita invadit, ut morbum cuius cicatrix est vestigium, quae cornus instar exsecti in fronte conspicitur, non modo non commiseretur sed etiam ludibrio habeat. Deinde nec figura hostis nec motu ne paululum quidem movetur: cum sic mutilus miniteris; adeo Herculem pumilio non pertimescit. Postremo eundem prope paenitere videtur quod cornu exsectum sit in fronte adversarii, quod si etiamnunc emineret, quanto atrocior hostis esset adspectu tanto dulciores irridentium cachinni commoverentur. Quo quam facete sugillaverit adversarium, sic mecum reputa. Nos quidem statueremus, cicatrix si abesset ceteris Messium similem fore hominibus. Aliter Sarmentus: cicatrix si non conspiceretur, frons salva non esset sed cornu cerneretur incolume, prorsus igitur iste in belluarum numero habendus.

At — (v. 60.). Quod quomodo explicandum sit interpretes ambigunt. Doederlinus ad ellipsin confugit. Quidnam vero supplendum? Doed.: nequit hoc quidem intellegi, sed scito cett. At hoc fictum videtur. Contra saepissime coniunctionem at cum vehementius animus moveatur usurpari nemo negat, quod in hunc convenire locum existimo. Messium Sarmentus ita increpuerat, ut in belluarum eum numero collocandum censeret, quo sane convicio maledicentior quam qui feratur esse ipsi videtur poëtae. Hic, inquit secum poëta, modum iste profecto excedit. At (quasi primum Messium adspiceret et cornu quod antea non animadverterat agnosceret) cicatrix in fronte Messi profecto cornu quodammodo imitatur. Quam quidem interpretationem propiorem te vero spero habiturum quam eorum opinionem, qui coniunctionem at h. l. vim habere explicativam docent. Verum est: quae sequuntur „at illi cett.“, his ea quae antecesserunt: „o tua cornu cett.“ explicantur. Nec tamen eo magis partic. adversativa h. l. pro explicativa habenda est.

Foeda cicatrix —. Cum nulla unquam cicatrix non sit

horrida adspectu, tum hac nihil sane videtur taetrius cogitari potuisse. Mox setosa vocatur frons haud dubie per anticipationem, quippe cum cicatribus setae plerumque quasi praesidium accedere soleant. Nimirum poëta venustatis amator foedo ita perturbatur adspectu, ut quid unde profectum sit accurate non iam discernere posse videatur. Animadverte autem laevi oris frontem turpatam esse dici. Nos quidem unam vel alterutram partem diceremus; nimirum ab utra aliquis parte vulneretur, nil nobis videtur referre. In his vide quam secus sentiant veteres, e quibus quid sit distincte loqui disces.

Piget autem poëtam quibus Sarmentus adversarium obruerit conviciis omnia enumerare. Ne tamen quibus Horatium eisdem contentum fuisse Sarmentum credamus, addit eum Campanum in morbum, in faciem permulta iocatum esse. Atque morbus Campanus qui fuerit nondum satis est exploratum, quamquam vero proximum cicatricem, de qua supra dixit, eiusdem morbi esse testem. Illud autem: „in faciem“, quoniam v. 56—57 statura castigata est, 58—59 frontis mendum absolutum, oris spectat speciem, in qua praeter grandem illam cicatricem aut verrucas aut tubercula aut colorem morbi fuisse pro testimonio credibile est. Quae convicia utrum propter iocorum obscoenitatem an ne longus sit obiter praetereantur, pro incerto relinquamus. Unum moneo, ne Sarmentum, qui nil nisi figuram corporis et faciem adversarii ludificetur, inopem fuisse credas ingenii. At sicut in scribendo non quantum sed quid et quomodo scribas interest, ita non magis est ingeniosi de multis iocose rebus disserere quam in una ita versari ut et ridenda videri eadem et rideri non desinat. Quod quam scite effecerit Sarmentus, rogatio qua finem facit carpendi docet. Pastorem saltaret —, scilicet mimo imitaretur gigantem. Idem mimus celeberrimus et plebi haud dubie gratissimus commemoratur epist. II, 2, 125. Rogatio autem qua petitur ut Cyclopa Messius saltaret, quo honorificentior videtur, eo facetior est. Idem, qui supra asperrime in Messium invectus est, nunc rogat eundem, ut quasi gratum sibi faciat, immo prope laudem pollicetur. Nil illi larva — cothurnis; tam esse idoneum et his quasi natum partibus Messium. Scilicet histriones, quo magis divini (dei vel deorum filii) esse videantur, larvis induuntur et cothurnis. Quo habitu facile Messius supersedere dicitur, cuius nullo apparatu membra vel dei vel gigantis vel belluae referant speciem. Qua adulatione quo blandius hostis videtur mulceri, eo profecto acerbius vulneratur. Sarmentus igitur ita carpit Messium, ut primum ne hominis quidem loco eum habeat, deinde cornu in fronte eius eminens ludificetur, denique velut convictus virtutes adversarii ipse laudare atque praemia plaususque spectantium spondere videatur.

Multa Cicirrus ad haec. Ad permulta illa quae Sarmentus ediderat convicia Messius non ita mente est destitutus, ut

non multa respondeat, quorum poëta speciminis instar pauca quasi eclogas memoriae prodit. Atque primum quaerit M., donasset iamne catenam ex voto Laribus. Quae interrogatio vide quam subtiliter excogitata sit. Nam sive negat S., sequitur ut catena etiamnunc prematur; sive affirmat, servum se fuisse confitetur. De catena autem etiamsi nihil traditum sit sed omnino res a Messio conficta, ipsam servitii admonitionem Sarmentum haud mediocriter momordisse liquet. Qui cum scribae iam gestiret munere, nihil ob eam rem servituti derogari docetur. Quo nihil potuit acerbius pumilionem profligare. Neque id interrogando dicit M. sed brevissime monendo (sc. scribae munere quo maxime exsultet non fieri ut servituti iure exemtus habeatur). Quae omnia si ficta essent, ut interpretibus videtur, num acriter pungere illum potuerunt? Quamquam Heindorfius scribam fieri servo negat licuisse. Quod de scriba publico concedo. At idem, qui scurra dicitur (v. 52.), num publice scribae functus sit munere, magnopere dubito. Superest ut scribam hominis privati (ut Maecenatis) s. librarium fuisse existimemus. Ceterum hoc altero eiusdem satirae loco scribarum nomen ita usurpatur, ut poëtam haud sane magni eos fecisse intellegamus. At enim collegas perstringere non decuit. Sic si quis censuerit, haud scio an plura et graviora poëta si voluisset in medium potuerit afferre, quae qui tacuit satis collegis indulsisse iudicandus est. Postremo rogat M. Sarmentum, cur unquam fugisset — gracili sic tamque pusillo. Quod dictum esse misericordis videtur. Nam etsi iterum ac tertium fuga exprobratur, non sine benevolentia quadam quaerit, cur gracilis ille ac pusillus, cui tantulum satis foret cibi, fugae susceperit mala laboresque, quasi roget: heus tu, cur, miselle, tot in pericula ruisti? Quantum te molestiarum perpessum esse censeam! Utinam tua contentus sorte domi quiescere maluisses! Hanc ad misericordiam hostis, quae non prorsus ficta sed aliqua ex parte vera videtur, Sarmentus nihil iam habet quod respondeat. Nimirum quem nostri miserere videamus, eum telo petere nullo modo possumus. Iam animadverte quam eleganter pugnatum sit. Pygmaeus, qui prior ciet pugnam (ut pueri supra v. 12. priores ingerunt convicia, ita plerumque lacessere infirmioris est), vehementer invectus gravissima Herculi infligit vulnera; Hercules aequo impetu animo excepto nullo utitur convicio sed hosti quamquam acerbe nonnihil respondet eidem prope benevolenter videtur consulere. Sic uter superior ex acie discedat vix dubium est.

Sed tamen unus etiamnunc nos mordet scrupulus. Messio homini tam tranquilli animi et prope placidi qui fit ut cognomen sit Cicirrus? Nec minus mirum hominem tam grandis figurae corporis scurram fuisse. At cur hic praecipue idoneus visus sit qui scurrae sumeret partes, noli ex me quaerere sed ex Flacco potius vel ex ipso Cocceio. Qui fortasse tibi responderet, ex turba scurrarum quos exhibere potuerit, hunc potissimum se in medium ad-

duxisse, quo magis contrarii adversarii essent adspectu. Ceterum non a calumniando inditum videtur cognomen Messio quasi vociferando et conviciando praestiterit ceteris (id quod hoc sermone non probatur) sed ni fallor propter vocis tenuitatem quandam, quae in homine tantae molis sane ridenda erat. Fit enim nonnunquam ut homines magnae figurae voce praediti sint acuta et quasi puerili, qua facile risum moveri audientium in promptu est. Hoc igitur si statuere licet de Messio, nil restat in quo haereamus. Facile enim primum intellegitur, hunc hominem scurrae in numero fuisse, deinde primo adspectu horrorem incutere potuisse, denique etsi dicaciter loquendi satis peritum, tamen animi fuisse aequi ac prope moderati.

His iocis credibile est convivas magnopere delectatos esse. Prorsus iucunde cenam producimus (in multam noctem). Cenae largitati ac luxuriae nonnihil deberi illius iucunditatis nemo dubitat, plus tamen poëta dictorum facetiis atque animorum tribuit laetitiae.

Tendimus hinc recta Beneventum. Recta; erat igitur alia quoque via, sed longior. Recta sine dubio ardua erat et molesta. Idem verbum docet tendendi. Eandem ob causam breviore hoc die spatio emenso quiescitur. Iam sedulitas hospitis (cauponis, quippe cuius nomen non memoretur) spem cenae ostendit lautioris. Et turdos profecto etsi macros vident advenae igni assari. Hac macie turdorum ut supra v. 14. culicum ranarumque impudentia effici volunt interpretes, ut verno iter factum esse tempore credamus. Neque ego vernos illos fuisse dies nego, de argumentationis pondere dubito. Nam bestiolae illae omni tempore aestivo nos vexare solent, quamquam fortasse vere nobis propter hiemem insuetis molestiores videntur; hoc vero loco hospes carpitur, qui quam sordidus sit hic turdi macri, mox servi timentes (v. 75.) testes sunt. Macram igitur spes est fore cenam sed tamen cenam. Quid quod haec quoque spes illos fallit esurientes. Hospes, dum turdos versat in igni, paene arsit, i. e. domus hospitis ut ap. Vergil. Aen. II, 311—12: proximus ardet Ucalegon. Nam (ne mireris tam macra paranda cena ignem fusum esse per domum) per veterem culinam (iterum sordes apparent hospitis) igne dilapso (quippe cum nihil non esset tam aridum et fragile, ut gratissimam igni praeberet materiam) flamma vaga (latius serpens et increscens) summum properabat lambere (quo verbo cupido bene exprimitur flammae) tectum. His versibus 73. 74. epicae aliquid inesse granditatis, id quod nonnulli adnotaverunt, magis concedo quam v. 72. structura verborum animorum pingi pavorem et perturbationem, quod mihi quidem subtilius videtur quam verius. Tali ratione vereor ne si plures singulis versibus literae ss vel rr vel aa vel oo inveniuntur et similia, nova permulta atque inaudita possint enucleari.

Convivas avidos —. Iam videres, inquit, — tanta eius

rei cum voluptate poëta reminiscitur ut neminem nolit adfuisse — convivas avidos et servos timentes. Scilicet illi aperte et fortiter rapiunt quippe qui non pertimescant ne deprehendantur, hi furtim surripiunt, quippe qui ultionem metuant atrocissimam. Mox infin. velle certe non ad infin. rapere (scilicet advenae, credo, non solum voluerunt rapere sed rapuerunt), ad infin. igitur restinguere referendus est. Utrique, advenae et servi, quantulumcunque cenae antea macrae tum vero ambustae rapi poterat rapuerunt. Iidem (omnes) restinguere voluerunt incendium. Cave igitur ne culpae accuses innocentes. Parati erant omnes ad flammas restinguendas opem ferre, sed dum suam quisque famem sedandi causa quidquid obvium est rapit hauritque, domus, opinor, quam omnes sane volunt restinguere sed ita, ut sibi quisque primum consulat, auxilium ferendum ceteris permittat, concrematur. In quo quid ridendum fuerit si quaeris, vide quam bene hospitis sedulitati studium respondeat advenarum servorumque, quanta inter advenas illustrissimos et servulorum vulgus similitudo appareat animorum, quanta in officio praestando eorundem πολυπραγμοσύνη et fuga laborum.

Mox Apuliam ingressus quam bene patriae meminerit regionis, docet v. 77 s.: Incipit ex illo montes Apulia notos ostentare mihi, in quo ipsum adiectivum (notos) testimonium est pietatis. Ac facete sibi potissimum montes ostentari sibi persuadet velut si patria et ipsa alumno laetetur redeunte. Nec tamen amore patriae poëtae corrumpitur iudicium. Torret Atabulus ventus perniciosus montes, quos nunquam erepsemus (tam longum tamque arduum vel in patria iter est ut vix confici posse videatur), nisi nos vicina Trivici villa recepisset. Vicina Trivici i. e. prope sita ab oppido Trivico „quo vehicula iuncta accedere nequeunt: ergo Horatius ad villam devertit“. Quod ab scholiasta adnotatum pro ficto habeo. Finge enim vehiculis iter factum esse, non tam molles illi et effeminati erant, ut non exiguum spatium, quo Trivicum oppidum a via aberat, pedibus possent emetiri. Sed nihil omnibus his versibus de vehiculis legimus. Quamobrem iter pedibus factum non esse mihi quidem persuaderi nondum potuit. Defessi, priusquam Trivicum oppidum quo contendunt pervenirent, cum praeter spem (nunquam erepsemus, quasi iam timuerint ne nunquam ereperent) villam viderent, copiam hic pernoctandi forte oblatam laeti, credo, arripuerunt. Qua in villa etsi permediocriter viri nobiles videntur et habitasse et cenasse, tamen non talia queritur poëta sed fumum lacrimosum, lippis (v. 30. 49.) haud dubie maxime invisum. Nox quod gelida est iter in vernum incidere tempus haberi potest pro documento, quamquam noctes gelidae in regionibus montanis ne ab aestate quidem alienae sunt. Sed indigenas rusticiores fuisse liquet quam qui advenarum bene consulerent necessitatibus. Nec tamen Horatius homines, qui udos cum foliis ramos urebant, sed facete

accusat caminum. Scilicet mediocritas hospitii non magis hominibus crimini ducenda est quam loci naturae.

Hic poëta, qui hoc toto itinere ne vidisse quidem ullam mulierculam videatur, amore se captum fuisse fatetur. Qui ne Capuae quidem in urbe perditissima luxuriae succubuerit illecebris, eius in solitudine ruris ac montium non minus quam montes Atabulo cupidine pectus torretur. Sed mendacem (nullo iam blandiore eam nomine appellat) stultissimus (non quod omnino quam stultum sit corporis indulgere libidinibus intellexerit sed fallacis confisus puellae fidei) usque ad mediam noctem (tanta arsit cupidine) exspectavit frustra. Sic quod, si explevisset libidinem, nisi omni exuto pudore referre nullo modo potuit, quoniam non ut speraverat cupiditas satiata est, aperte confiteri licebat. Quae sequuntur, non minus libere, immo licentius dicta sunt quam quae nos ferre facile possimus. Nec tamen qualem habuerint exitum amores silentio omnino poterat praeteriri. Quamobrem ne forte credamus fore ut aegritudine animi poëta maceretur, somno se docet abreptum nullo prope damno nisi vestis (sed tamen nocturnae i. e. vilioris) levi macula accepto (hinc quoque munditiae elucet studium!) omnibus his ex periculis incolumem evasisse.

Inde cum postridie raedis iter pergant, quamquam tantundem fere vel paulo plus quam ceteris diebus (24 m. p.) conficiunt spatii, ex hoc ipso, quod raedis hoc die rapi dicuntur (is autem imprimis, qui pedibus ire consuevit, ubi raedam conscendit rapi sibi videtur) superioribus diebus non raedis (pedibus igitur) iter factum esse liquet. Iam si quaeris, quid sit cur raedis non multo plus spatii quam pedibus emetiantur, non tam frequenter opinor hospitia ac villae inveniebantur quo devertere possent, quamobrem stationes plerumque praestituebantur vel praemittebantur qui adventuros hospites denuntiarent. Ab hoc igitur certo ordine et constituto haud facile discedebatur.

Oppidulo, quod versu dicere non est, signis perfacile est, non Equum tuticum vel Equotuticum scholiastarum, quod nimium a via distabat, significari pro explorato habemus. Asculum contra, rationem si sequimur geographicam, optime convenire docet Walckenaer (ap. Dillenb. ad h. l.). At enim nomen oppiduli metro non prorsus repugnat. Sed poëta quod scripsit: quod versu dicere — signis perfacile est, ita censeo interpretandum: versu dicere non est facile, signis perfacile. Idem Kruegerum proposuisse video. Non est igitur quod „est“ h. l. pro „licet“ positum esse statuamus, quamquam sat. I, 2, 79. 101. epist. I, 1, 32. I, 12, 2. „est“ illo sane sensu usurpatur. At Asclum ponere potuit pro Asculo. Potuit. Concedo. Tu autem nomen verum fuisse Asculum (non Asclum) non negabis. Hoc vero nomen ita tantummodo versu hexam. potest includi, ut vocalis sequatur. Ceterum iuvat credo poëtam, etiamsi metrum non omnino repugnet, nomen non literis, sed signis quibusdam tradere.

Signa autem, quibus facile si quis eodem incesserit itinere oppidulum agnoscat, haec sunt. Venit vilissima rerum hic aqua, sed panis longe pulcherrimus. Hic quoque ut saepius res vilissimas velut aquam panem quanti ducat poëta videmus. Venire autem ibi aqua traditur, non quod magni poëtae quantum expendat pecuniae intersit, sed quia venire aquam utique mirum. Ceterum mox videmus poëtam rei domesticae alias neglegentem hoc itinere eam nancisci rerum peritiam, ut ne domesticas quidem res quae quidem ad victum pertinent plane despicere videatur (ultra callidus ut soleat umeris portare viator, umeris, qui premuntur onere nec tamen onus recusant). Panem autem ibidem pulchrum esse, ubi inopia est aquae, mirum certe, sed tanto panis pluris ducitur.

Nam Canusi lapidosus. Doederlinus: „voll Steinchen“. Fritzschius: „in Folge der schlechten Mahlsteine knirscht das Brod zwischen den Zähnen wie noch jetzt in jener Gegend“. Mihi quidem simpliciter durities videtur significari, quae utrum e frumenti vitio manet an lapidum molarium non liquet. Quae sequuntur: aquae non ditior urna omnes fere interpretes ita explicant, ut relativum qui postpositum esse statuant. Exponunt igitur: qui locus aquae ne urna quidem ditior cett., quam veram esse rationem mihi non possum persuadere. Longiore enim intervallo relativum postponitur quam c. IV, 2, 5. c. s. 9. et, quod pluris fortasse, eisdem locis substantivum praecedit, ad quod necesse est relativum referri. Contra si urna nomin. est, adiect. ditior genetivo non caret, ut Heindorfio videbatur, sed aquae cum adi. ditior iungendum, postea ad urnam supplendum (an Wasser nicht reicher ist der Krug). Num vero urnam poni pro copia miraris? At confer crumenam pro pecunia epist. I, 4, 11. Iuven. 11, 38. Similiter nos denominationes quasdam velut Kasse (pro nummis), Keller (pro vino), Brodkorb (pro penore), Krug (pro caupona) usurpamus. Alia et similia non difficile erit colligere. Qui locus a forti Diom. est conditus olim. Quam nihil fructus ex famae magnificentia et celebritate nominis proficiscatur, vel inde apparet quod oppida inveniuntur, quae cum viris antiquitatis originem debeant nobilissimis ad turpissimam delabantur egestatem. Alios aliter hoc de v. sentire (sed Heindorf., Krueger. satis recte) docet Fritzschius.

Flentibus hic Varius discedit maestus amicis. Non magis quam v. 27. 31. 40. unde advenerint comites hic quo discesserit Varius poëta tradit. Nimirum non quid gestum sit quo doceantur lectores ut rerum refert scriptor, sed quo ipse comitesque delectentur quid ipsis aut laeti evenerit aut adversi in memoriam revocat. Ac mirum nobis videatur quod ipse V. maestus abire dicitur. Quod quidem hoc sane tempore indecentius habeatur ultro fateri amicum maestum a nobis discessisse (qui si discedat nobis solis maerere licet), ex eo antiquitatem simplicitatemque

veterum disce. Ceterum Varius maestus est, flent comites. Est enim abituri moderari maestitiae, remanentium liberius indulgere maerori.

Inde Rubos fessi pervenimus — pedibus ut mihi videtur. Neque enim tam molles erant veteres, ut vel minimo labore immo sine ullo labore (si fingis raedis vectos) ut nos cum navibus vel vehiculis vapore impulsis iter facimus defatigarentur. Abest sane procul oppidum Rubi a Canusio (m. p. 30), nec tamen ita ut omnino Rubos pedibus perveniri non possit. Neque ipse poëta longum esse iter negat: carpentes — factum corruptius imbri. Quorum neutrum poëtam dicturum fuisse ego quidem pro certo habeo, nisi quam moleste tali via pedibus iretur ipse expertus esset. Ceterum carpere non est festinare sed gradatim procedere, vestigia ponendo singulas paulatim itineris particulas emetiri. Nec minus postridie pedibus iter perrexisse cohortem inde apparet, quod iterum qualis fuerit tempestas quamque via corrupta poëta tam bene meminit, intervallo autem Barium a Rubis distat minore quam Rubi a Canusio. Reliqua duo itinera utrum pedibus an raedis confecta sint ambiguum est. Quamquam raedis propius videtur vero. Nam et longiora sunt intervalla (37 et 44 m. p.) quam quibus nisi maximo impenso labore pedes sufficiant, neque quoniam ad finem poëtam festinare manifestum est e silentio sequitur contrarium. Sed Rubos parumper redeamus. Ubi quale fuerit hospitium ne verbo quidem memoratur. Nimirum tam fessi advenerunt ut quiete gratissima satis contentis cetera curae non essent. Tum Bari lautius sumptum esse epulum ex uno adiect. piscosi nescio an liceat coniicere. Sed hoc uno res absolvitur. Omnino autem Barium non ceteris videtur oppidulis simile sed speciem quandam referre urbanitatis (moenia).

Dein Gnatia (Gnatia idem oppidum quod alias Egnatia vocatur) Lymphis iratis exstructa (i. e. inops, pauper aquae). Sed eodem malo plura laborant oppida (v. 88—91.) nec tamen ludibrio habentur. Immo Daunus rex fabulosus Apuliae pauper aquae dicitur c. III, 30, 11. Supra prope misericordia qui moveri videbatur (v. 88.), is h. l. ridet inopiam eius rei, qua difficillime caretur. Nec nunc demum Gnatia nymphis invisa esse dicitur sed ut poëtam Melpomene nascentem placido videt lumine, sic hanc urbem iam orituram nymphae infesto adspexisse lumine feruntur. Cuius rei quae sit causa, cum poëta non doceat, equidem pro certo non ausim affirmare, nisi forte inde repetenda est quod mox Egnatini miraculum nescio quod traduntur iactavisse. Quod indignatus poëta hunc fere in modum invehitur: Quid? inquit, diis vos gratiores ceteris esse mortalibus vobis videmini, qui adeo invisi eis sitis ut iam orituram civitatem vestram nymphae lumine adspexerint inimico! Ceterum ut non innocentium insectatur miseriam sed arrogantium aversatur iactationem, ita ne hoc quidem vitium acerbe castigat sed leniter perstringit. Deinde cum omnino

non quid acciderit imprimis in hoc spectetur sermone sed quid inde voluptatis possit percipi, tum h. l. omnium primum risus discimus iocosque praebuisse ipsis Gnatiam, postea demum tura liquefacta. Iam vero quid sit quod riserint amici ambiguum est. Nam tura limine sacro esse liquefacta poëta certe oculis non vidit. Quod si vidisset, quid opus erat persuasu? Sed tamen nonnihil videri subesse veri mox ipse confitetur poëta: si quid miri faciat natura cett. Naturam igitur miri ibi aliquid fecisse non negat, Sed tamen tura et limen sacrum suspicionem mihi quidem incutiunt. Quid? nonne fraudem piam subfuisse sacerdotum vero est simillimum? Fortasse igitur temporibus quibusdam tura limini sacro imposita sine flamma liquefieri ferebantur. Quod quamquam Horatius, ut supra diximus, suis non vidit oculis, non deerant qui testes existerent miraculi, immo iureiurando testimonia affirmare parati essent. Atque magno videntur studio id egisse, ut quam plurimis fidem facerent. Quis tandem? Nempe ipsa civitas tota Egnatinorum (Gnatia — cupit). Quid ita? Lucri, opinor, causa. Magno enim in urbem aedemque sacram hominum concursu haud mediocre redibat lucrum civitati. Hancobrem persuadere cupit. Sic iure indignatum esse poëtam puto. Atque haud scio an periculum fuerit ne unus alterve Horatii comitum fraude flecteretur. Quod nisi ullo modo verendum erat, cur refellere et refutare rem absurdissimam animum inducit? Credat Iudaeus Apella. Licet nonnemo istis fidem habeat testimoniis, licet nonnullius aures fabulis istis mulceantur, nobis certe verba non dabitis, sed Iudaeorum sit talia credere, qui ut quisque maxime se credulum praebet ita religiosissimum eundem ferantur habere. Apellam nomen esse Iudaicum documento est epist. Pauli ad Rom. 16, 10. Acronis autem scholiastae interpretationem (Apella compos. ex α privativo et voc. pellis, i. e. curtus coll. Sat. I, 9, 70., circumcisus, quia praeputium non habet) in dubiis relinquamus. Non ego. Supra risus iocique sine dubio omnium fuerunt (v. 98.), nunc unus poëta fabulis repugnat. Nimirum quid quisque credat, neque alterum docere neque ab altero doceri sed suum quemque ipsum ducem esse oportet. Ac ne sic quidem rem missam facit sed addit argumentationem. Namque deos didici —. Quamquam ipsum verbum discendi, cum intellectu opus sit non disciplina, iuvenilis nonnihil habet credulitatis. Est enim levitatis iuniorum aliorum fretos praeceptis ipsos graviore cura meditandi supersedere. Securum agere aevum. Hoc dictum Lucretii (V, 82. VI, 58.) illo tempore inter adulescentes praesertim sapientiae studio deditos notissimum quod ad verbum reponit, id, ni fallor, egit, ut sacerdotum fabulas repudiando non suam libidinem sed veterum eorumque sapientissimorum auctoritatem sequi videatur. Nec si quid miri faciat natura, deos id tristis ex alto caeli demittere tecto. Miri igitur aliquid ibi vel fieri vel factum esse, ut supra diximus, quamquam non docet, nullo

modo infitiatur. At si quid natura miri faciat, deorum id opera accidere gravissime negat. Quid vero? Nonne contrarium est nymphas, musas, alios deos deasque suspicere et pio colere animo, de ceterorum ac de Iovis imprimis providentia potentiaque dubitare? At religionis est deos colere et adorare; minima quaeque quae ne praetorem quidem curare constat deorum consilio operaque vel effici credere vel prohiberi superstitionis. At enim supra non deorum iussu vel opera dixerat tura tradi liquescere sed simpliciter liquescere idque ipsum pro ficto habuerat atque indigno, quod homo recte sentiens verum esse credat (99—100). Iam vero rem ipsam non it infitias, diis fieri auctoribus negat. Aut primo igitur omnino res ridicula videbatur, tum ubi ipsa de re iam non poterat dubitari, deos dici auctores pro fraude habebatur deridenda. Aut priore loco (v. 99.) flamma sine (i. e. sine flamma ut Sat. I, 3, 68: nam vitiis nemo sine nascitur) tura liquescere ita dictum est ut sine ulla non solum hominum sed etiam naturae opera, nulla omnino causa effectrice quasi magico dicto audientia tura liquescere crederentur. Sic qui exponendum esse locum mecum censebit, nihil superesse difficultatis consentiet. Profecto enim nescio quid singulare inventum ibi esse docet Plinius N. H. II, 111: In Sallentino oppido Egnatia imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum protinus flammam existere.

Atque utrum recte poëta his de rebus senserit necne non est nostrum decernere. De quibus utut ipsi sentimus, indigni nonnihil habere superstitionem, qua dei quaecunque in vita humana mira eveniant ut ligni incendium efficere credantur, concedemus. Nec tamen poëtam petulantius his de rebus egisse negaverim. Deos ait tristes (qui ut magistri morosi omnia curant, nihil connivent, nihil indulgent) — ex alto caeli demittere tecto (velut divites stipes proiiciunt mendicis). At tales non esse deos docet sed (quo ineptius cogitari non possit) credi. Denique si duo statuenda sunt genera hominum, unum eorum qui graviores sunt dictis, animis et rebus leviores, alterum eorum qui leviores sunt dictis, animis et rebus graviores, neque utri potius imitandi neque utris Horatius adnumerandus sit dubitabimus.

Sed poëta, qui omnibus supra locis ac praecipue sub finem festinaverat (nil iam de itineribus quamvis longis, nil de hospitiis), Gnatiae opinione diutius moratus est (tantus ardor est philosophantium). Iam quasi saltu ruit ad finem: B r u n d i s. l o n g a e f i n i s c h a r t a e q u e v i a e q u e e s t. Quo num fessi, meliore an deteriore via vel tempestate, raedis an pedibus pervenerint, quo recepti sint hospitio, nihil iam refert. Pervenisse ad finem tanti est tantique ducitur, ut etiamsi semianimes advenissent, sub divo pernoctare, fame sitique prope enecati interire cogerentur, omnia pro nihilo pendenda essent. Neque magis antea via laetatus est quam nunc descriptione (c h a r t a) confecta, quarum eum utramque non ultro sed Maecenate auctore iniisse pluribus ex indiciis

intellegitur. ὕστερον πρότερον: chartaeque viaeque quomodo explicandum sit, h. l. maxime est in promptu; proxime enim in charta desudaverat. Sed vide imprimis quam fortiter ex philosophorum locis atque ex alto caeli tecto Brundisium transiliatur. Nonne poëtam fronte quasi explicita stilum et pugillares abiicientem prope oculis videre nobis videmur?

Sed Romam credo reditum est Brundisio. Quod quoniam vix eadem omnino factum est via, cur nulla eius rei fit mentio? Non quo quidquid in reditu evenit copiose deberet enarrare! Permulta poterat praeterire, omnem paucis versibus reditum absolvere. Quid quod Tarentum, non Brundisium quo sane contenderant, viae fuisse finem satis certo scimus, qua de re v. imprimis Kirchner. de itin. Brundis. in Quaest. Horat. 1834. p. 59. Quod cum ita sit, paulo postquam adventum est poëma in oppido ipso Brundisio compositum esse suspicor. Rogatus haud dubie a Maecenate aliisve quae modo vidissent pertulissent risissent memoriae traderet, proximis post diebus satiram conscripsit. Quod ut credam plura faciunt. Longiore exacto intervallo permulta vel excidunt memoria vel quanti antea in perpetiundo tanti post in recordando non iam videntur nec digna quae literis immo versibus includantur, veluti tempestas, viae imbribus corruptae, hospitiorum mediocritas, omnia denique itineris incommoda atque molestiae, quibus haec redundat narratio. Ne tamen hoc omnino novum a me excogitatum putes, confer quod Kirchnerus censet l. l. p. 60: „Nihil impedit, inquit, quominus itineris Brundisini descriptionem in Satira quinta exhibitam post Horatii reditum aestate illius anni 717. u. c., fortasse etiam cum Tarenti otiosus degeret, esse compositam statuamus.“ In quo unum mihi quidem non est perspicuum, cur Tarentum ipsum atque iter quo a Brundisio Tarentum ventum est quamvis breve ac notum omnino praetereatur silentio. At enim poëta nihil aliud voluit nisi itineris usque ad Brundisium perducere descriptionem. Quid? unde hoc tibi compertum? Qui scripsit: Brundis. longae finis — viaeque, eum necesse est hunc locum (Br.) pro fine habuisse. Quodsi vero non Brundisium sed Tarentum finis erat viae, ut Kirchnerus luculenter docet de Maecenate (qui paulo post cum Octavia Tarenti versatur, ap. Plutarch. in Antonio c. 35.) et probabiliter de Horatio*), sequitur ut in ipso oppido Brundisio atque priusquam cognitum haberent amici finem nondum adesse itineris poëma exaratum esse videatur.

Iam si totum respicimus poëma, quid propositum habuisse poëtam censeamus? Num forte, quae loca adiisset, ut accurate

*) Cur tandem poeta fautorem non usque ad finem prosequeretur? An Maecenas, ut Horatium praemiserat, ita poëtam vel poëtas prope a fine subsistere iussit, ne in rebus Tarenti gerendis poëtarum sodalitas sibi molesta esset? Quod si ita fuisset, certe ut supra Varii sic Maecenatis discedentis poëta mentionem fecisset.

ea ac diligenter depingeret? Minime id quidem. Praeter Anxur nullius unquam loci situs adumbratur. An civitatum singularum de moribus institutisque subtiliter dissereret? Ne id quidem invenimus. An Maecenatem cum amicis vel se ipse cum uno alterove comitum de arte poëtica, de patria, de amicitia, de aliis quibuslibet philosophiae locis ingeniose inducit colloquentes? Nihil minus. Quid tandem? Nempe quid ridendum fuisset in itinere, quid aut iuvisset animos peregrinantium aut paenituisset, quid delectaturum foret legentium aures, risus igitur potissimum iocosque spectavisse poëtam apparet. Qua de causa imprimis molestias enumerat atque incommoda, quippe quibus audiendis homines non minus oblectentur quam moleste ferunt patiunda, omnino ineptias, nugas, res ridiculas sectatur. Cuius generis largissimam materiem nactus est Fori Appi (additis eis quae inde inter navigandum sequebantur), in villa Coccei (ubi pugna conseritur inter Sarmentum et Messium), in villa Trivicana (ubi ipse fraude fallitur puellae), denique Egnatiae (ubi fraudem non solum ridet sed prope indignatur neque eo minus dulcissime ridet). Nec vero ceteris locis deerant quae in eundem usum possent converti ut hospitum sordes et similia. Id igitur egisse videmus poëtam ut, quo plus ipse laboris ac prope taedii quam voluptatis ex itinere percepisset, eo magis enarrando et potissimum quidem labores molestiasque enumerando et se ipsum et amicos delectaret. Quamquam aequo acrius iudicet, si quis poëtam nihil nisi ridenda secutum esse existimaverit. Quod ita non esse cum alia tum vv. 39—44 (quibus amicorum traditur complexus) satis docent. Sed tamen ad delectandum ea maxime poëtam videmus amplexum esse, in quibus quod derideri posset deprehenderetur.

Deinde quod propositum habebat poëta quomodo exegerit quaeramus. Regionum amoenitatibus oppidorumque rebus publicis privatis laetis adversis etsi non omnium primum operam impendit, tamen loci non desunt, e quibus, quamvis aegre vita careret urbana, quam iucundum tamen iam tum fuerit poëtae ruri versari liquet. Ac diserte quidem unius oppidi situm admiratur v. 26. impos. saxis late cand. Anxur. Sed ex eodem genere est 9—10. caeli nocturni contemplatio, qua voluptate ut frueretur quamquam necesse non erat Forum Appi se conferre, tamen quem res quotidianas usitatissimasque ita iuvat adspicere, ei locorum amoenitates cordi non esse nullo modo credo. Deinde gaudium montes patrios revisendi (77. 78.) quam laetus et quasi tripudians (ostentare mihi) expresserit supra vidimus. Denique cave ne quod plurimi est momenti praetereas. Quae enim loca (colles, nemora, fontes, similia) maxime veteribus ridere videbantur, ea cum diis vel deabus consecrarent, non solum qua nos solemus admiratione sed pia prosequebantur reverentia, donis precibusque colebant. Cuius rei vestigium est in hac satira v. 24. ora manusque tua lav., Fer., lympha; e contrario 97. 98. Egnatia nymphis invisa dicitur.

Nec tamen inter Horatium et nostrae aetatis poëtas aliquantum interesse nego. Hi quidquid in natura rerum conspicitur adeo admirantur, ut si quis primo rivuli pratulive adspectu non exsultaverit metuendum sit ne a bacchantium grege pro bruto pecore habeatur. Non item Horatius, qui etsi illo tempore is nondum esse coeperat, qui nil omnino censeret admirandum, ne tum quidem omnia omnibus admiranda esse arbitraretur. Sic malis se culicibus ranisque palustribus vexatum esse cur non fateretur? cur longum fuisse iter, gravem Appiam dissimularet? Idem meliorem posteram fuisse tempestatem libere concedit. Scilicet neque omnes gaudent rure Camenae, neque hac una quasi nova lege agraria omnis poëtarum virtus ponderanda est.

Quid autem singularum proprium sit civitatum, brevius aptiusque exprimi non potest quam v. 4. (differtum nautis cett.) vel 37. (in Mamurr. urbe) vel 51. (super Caudi caupones) vel 97. (Bari moenia piscosi). Adde quomodo villulam ponti Camp. quae erat proxima et parochos (45. 46.), oppidulum ἀνώνυμον (87. 88.), Canusium, Egnatiam denotaverit. Nec tamen id egit potissimum, ut quid cuiusque proprium esset urbis accurate perspiceret, quippe cui nihil omnino id genus curae esset nisi risus iocique. Oppidulum ἀνώνυμον suis vel virtutibus vel vitiis natura profectis conspicuum est, Fundi Aufidii Lusci praetura, Beneventum hospitis sedulitate et incendio, villa Trivicana fumo lacrimoso et mendacio puellae, villa ponti Camp. proxima parochorum tenacitate. De Rubis v. ad v. 94. Urbes ampliores ut Sinuessam, Capuam, Brundisium, nisi quod Sinuessae amicos supervenisse, Capuae Maecenatem lusum, ipsum Vergiliumque dormitum isse ait, nec laudat nec castigat, credo quia aut notiores erant vulgo aut hospitia eiusmodi, ut comites nihil requirerent luxuriae, poëta ipse nec sordibus offenderetur neque opulentia admodum delectaretur. De Roma v. ad v. 1.

Priusquam a rebus ad homines transeamus, ad ea quae inter res hominesque media sunt interposita animalia praevertamur. Quod culices ranasque palustres detestatus est non timeo ne quis crimini vertat poëtae. Mitius mulae mulisque consulitur. Quamquam totam abire horam dum mula ligetur indignissime fert (13.), neque id quidem credo quod iumenti misereatur; sed mox quam bene nauta mulae prospexerit dormiturus, ita tradit ut cura et diligentia hominis incultissimi ipse non tam stomachari quam quodammodo delectari videatur. Tum eum, qui non solum nautae meriti caput lumbosque sed etiam mulae immeritae fuste dolaverit saligno, cerebrosum fuisse dicit. Scilicet si recte sensisset, ab homine, non ab iumento poenas exegisset. Denique mulos tempore Capuae positis clitellis quietem meritam nactos esse gaudet (47.). Alia ut Sarmenti equum ferum et turdos macros Beneventanos praeterire licebit.

Iam ad genus humanum ascendendum, cuius permulta et varia

exempla inveniuntur. Ac primum grex occurrit hominum de inferiore plebe et infima, pueri nautaeque v. 11. (quamquam inter nautas et viatorum nonnullos paulum interesse docet v. 16.), parochi sordidi callidique (46.), Sarmentus scurra et Messius Cicirrus (52 ss.), hospes Beneventanus (71.), puella mendax (82.), Egnatini (97.), Iudaeus Apella (100). His proximus est Aufidius Luscus scriba, quamquam sua quidem sententia primoribus adnumerandus. Horum omnium prope nemo prorsus perditus est. Puerorum nautarumque convicia quamvis molesta adeo non sunt impolita ut referre paeniteat. Nauta atque viator vinolenti sunt nec tamen potando magis delectantur quam cantando. Parochi non plus suppeditant quam debent sed tamen quantum debent. Hospes ille sedulus, dum gratum vult facere advenis, ipse amburitur. Egnatini et Iud. Apella superstitioni dediti sunt, illi fortasse callidi et lucri avidi, hic aperte credulus, sed utrique risum movent, non indignationem. Sarmentus scurra acerbe vellit adversarium sed ita ut nihil nisi corporis menda alteri exprobret; hic tam humane et comiter respondet ut ipsa benignitate vicisse inimicitiam videatur. Homo cerebrosus quamvis insanae mentis tamen in tempore verbera non dubitat adhibere, quibus nonnunquam meliora non inveniuntur medicamenta. Puella denique mentiendo honestior est moribus quam si fidem praestitisset. Aufidius Luscus importunus est sed innocens. In omnibus igitur est quod derideatur, nemo omnium prorsus corruptus, nemo nequam. His hominibus inferioris condicionis iuxta ponuntur nobiliores. Primum Heliodorus rhetor, tum poëtarum quaternio, Plotius, Varius, Vergilius, Flaccus ipse, denique nobilissimi legati magnis de rebus missi, Maecenas, Cocceius, Fonteius Capito. Sed tamen illi — homines dico inferioris condicionis — partes agunt priores, illi hac in satira sunt actores, hi spectatores vel si multum eis tribuas *τριταγωνισταί*. Quamquam hi soli iidem sunt ab initio vel a parte priore usque ad finem, illorum alii super alios in scaenam prodeunt, primo pueri nautaeque, deinde nauta ac viator, quorum postea nemo occurrit, similiter ceteri. Unde quod supra docuimus denuo liquet totam satiram nihil aliud esse nisi seriem quandam iocorum, ipsos iocos quasi ludorum partes (Auftritte, Scenen), casu vel fortuito inter sese succedentes, iter ipsum arenam, in qua ludatur. Neque eo minus, quamvis actores isti humili orti sint loco, nobilium frequentia ludis decus quodammodo accedit et dignitas. De ipsis spectatoribus, quos quasi a tergo adspicimus, quoniam raro prodeunt in scaenam, non licet sententiam ferre nisi ita, ut caritas et consensus amicorum, Maecenatis benignitas et indulgentia, Capitonis urbanitas, Coccei liberalitas, Heliodori *πολυιστορία*, omnium denique modo taedia modo gaudia cognoscantur.

Nulla unquam re indoles animorum apertius cernitur quam itineribus faciundis. Amici qui multos inter sese annos mutua coniuncti sunt caritate si iter una faciunt, periculum est ne dis-

cidium oriatur; adeo in itineribus contraria prorumpunt studia et cupiditates. Iam qualis Horatii hoc in itinere, si ipsius sequimur auctoritatem, indoles appareat et ingenium, eis quae iam animadvertimus exceptis breviter percurramus. In cena frugalissimus aquae plurimum tribuit et pani, cetera ne nominantur quidem nisi turdi (sed macri) et pisces (uno adiect.: piscosi). Sed ut paucis in cenando potandoque contentus munditiam pluris facit quam opulentiam, ita labores et molestias subeundas saepe vel pertimescit vel pertimescere dicitur. Quamquam qua est simplicitate, cum inertiam suam ipse soleat accusare, haud scio an pigrior multis et inertior quam est esse videatur. Sed aequo fortasse magis sollicitus est de valetudine. Oculis quidem, quorum laborat lippitudine, cavere non desinit (cena vv. 7—9., ludo v. 48. abstinet, fumo vexatur 80. 81.). Idem in amoribus, etsi libidines non omnino compescit, tantum abest ut insaniat, ut ipse se leviter ob illas videatur perstringere. Ac fortasse puella ob id ipsum, quia non furere intellexerat poëtam, fidem fefellit.

Sed quo tum frigidior in amoribus, eo magis ardebat amicitia, qua nihil ei visum esse dulcius, nihil praestantius haec satira nobilissimo est documento.

Maxime vero et consilium et ingenuitas animi in iuvene praesertim poëta cernitur, si eum spectamus usum quo cum nobilibus atque imprimis cum Maecenate iunctus erat. Quacum amicitia vincula quaedam se induisse quibus obstrictus minus libere quam vellet viveret, ne ipse quidem dissimulat. Quin hoc ipso, quod neque taedium infitiatur neque ita queritur ut ingratus esse videatur, hoc ipso, inquam, factum est nisi fallor, ut gratior in dies Maecenati esset. At enim tali modo suo moderari animo, indignationem dissimulare nec servilem in modum taciturnum omnia perpeti sed libere videri loqui, nec tamen prorsus libere vivere sed iram atque odium fautoris caute fugere non est ardentis animi et ferventis sed tecti quodammodo et prope versuti. Non repugno. Sed id ipsum est Horatii caute agere ac prudenter nec tamen frigere animo sed ardenter amicos et studia amplecti, nec vero solum incalescere et effervescere sed etiam sapienter sui impetus animi continere. Quod nisi utrumque in eodem fuisset bene mixtum, num futurum fuit ut Horatius (si nihil nisi cautio et consilium in eo fuisset) Maecenatis oculos in se converteret? Si summo animi incensus ardore quid inter se et Maecenatem interesset non meminisset, num duorum amicitiam tam stabilem atque in dies stabiliorem futuram fuisse credibile? Sed hac de re vide imprimis epist. I, 7.

Idem quid senserit de republica si non libere profitetur tamen non iam dissimulat. Amor patriae in vv. 28—33. ex omni prope elucet voce sed ita, ut ipsas principum controversias quibus periculum erat ne pax et concordia civitatis turbaretur omnino

praetereat. Ne nomina quidem principum a se impetrat ut litteris tradat, amicos appellasse satis habet.

Denique quibus adulescens imbutus est sapientiae praeceptis, eorum ne inter iocos quidem unquam exuit memoriam. Horum munitus praesidio ut tum ipsum superstitionis risit ineptias, ita postmodum libidines, quarum illecebris mores civium corrumpi et depravari mature intellegere coepisset, compescuit ac refrenavit.

Tum haec qua dicendi ratione poëta expresserit paucis est adumbrandum. Ac — ne omnes translationes vel figuras grammaticorum rhetorumque investigemus — maxime brevitati operam dedisse liquet. Quin ieiunus maluit videri quam lutulentus fluere. Duo autem genera sunt brevitatis, unum eorum qui plerumque omnino tacent (vel perraro loquuntur), alterum eorum qui quae dicenda sunt quam brevissime profitentur; quae duo genera tametsi arctissimis inter sese vinculis continentur distingui tamen aliquo modo possunt.

Ac primum quidem ita studet brevitati, ut omnino taceat permulta. Tacet consilium itineris, cur quando sit captum, quid ante profectionem paratum, cur ipse prior profectus, tacet pactum esse quo singulis esset conveniendum, quod certe praestitutum erat, nisi forte casu Plotius, Varius Vergiliusque Sinuessam delati sunt. Deinde ipso in itinere quae vidit eorum longe maiorem partem prorsus tacet. Totum saepe diem uno versu absolvit. Nil de colloquiis comitum, nil prope de hospitum vel excipientium vel dimittentium comitate. Utrum pedibus iter factum sit an vehiculis, item utrum quiescere consueverint interdiu an continuo processerint, nonnunquam adeo ubi pernoctatum sit, ambiguum haberi potest. At enim ut supra demonstratum est non locorum descriptionem sibi proposuerat sed risus iocosque in memoriam revocandos neque aliis scripsit lectoribus nisi eis qui aut interfuissent itineri aut loca nossent. Assentior. Sed ne illis quidem poëtam fusa uti oratione et ubere sed brevissima visum esse existimo.

Tum ita operam dedit brevitati, ut quam paucissimis, una saepe voce contentus esset. Sic prandium v. 25., quod quam iucundum fuerit poëtae inedia superioris diei et noctis insomnia confecto facile coniicimus, uno verbo (p r a n s i) absolvitur. Villa Coccei, in qua nihil eorum quae ad luxuriam pertinent requireres, una voce (p l e n i s s i m a) laudatur. Etiam praeteritione quam vocant utitur, cum Sarmentum permulta alia in Campanum morbum et in faciem Messi iocatum esse tradit nec tamen ipse iocos refert.

Brevius est homines ipsos facere loquentes quam quae dixerint oratione narrare indirecta. Diverbio igitur sive dialogo pluribus utitur locis (velut pueros nautasque, tum Sarmentum et Messium ipsos facit colloquentes).

Brevitatis ita est studiosus atque adeo omnem spernit in dicendo luxuriam, ut saepe ne ieiunitatis quidem crimen evitaverit.

Permulta (velut v. 7. hic ego propter aquam quod erat deterrima —, 44. nil ego contulerim —, mox v. 45: proxima Camp. ponti quae villula, 47 ss.: hinc muli — ponunt, lusum it M. cett., namque pila lippis —, 50: hinc nos Coccei recipit plen. v., 88: venit vilissima rerum hic a., sed p. —, nam Canusi lapidos., imprimis v. 92: qui locus a forti Diom. est cond. ol., 96: postera tempestas melior cett.) tam exilia et arida vel sunt vel primo videntur adspectu, ut vix temporibus certis modisque (Sat. I, 4, 58) ab oratione pedestri possint distingui. Nec tamen nunquam grandior exsurgit oratio velut v. 8: (ventri) indico bellum, maxime apostrophe illa v. 24: ora manusque tua — lympha, 26: impositum — Anxur. Gravitatem quandam prae se fert illud (v. 36.): praetextam et latum clavum — vatillum. Namque per ludibrium saepe intumescere orationem non est quod exponam. Huc referendum illud (51 ss.): nunc mihi — Musa velim memores et quo patre cett., 73. 74: nam vaga — Volcano — lambere tectum, ubi poëta festive prope epicam imitatur granditatem. Neque hoc loco alienum erit nonnullas addere rariores verborum structuras, inter quas numerandi infinitivi historici (etsi ne apud rerum scriptores quidem et oratores inusitati): ingerere (v. 12.), inlinere (31.), tum: quales nec candidiores — (41.) ut epod. V, 59: quale nec perfectius meae laborarint manus, hyperbaton: paene macros arsit dum turdos versat — (72.), non est (87.), ubi aut facile supplendum, aut est idem quod ἔξεστι (?). De v. 91 s., ubi plerisque relativi videtur inversio usurpari, v. supra.

Iam omnes vel graviter vel festive dictorum sales facetiasque enumerare et in certa quaedam genera distribuere equidem non ausim. Maxime dumtaxat huius quid proprium sit satirae, breviter videamus. Nonnunquam poëta eo ipso carpit quod nimiis effert laudibus ut comitem Heliodorum (Graecorum longe doctiss.) aut fictam prae se fert gravitatem ut v. 34. 36. Fundos Auf. Lusco praet. — vatillum, ubi duorum versuum gravium magnificentia tertius qui quid rei sit aperte dicit medius includitur (ut ipsius hominis Auf. L. species et a fronte et a tergo magnifica est, pars interior nullius pretii), vel nimia ludit vituperatione ut v. 4. diff. nautis —. Civitatum ridet plures ut Canusium, a forti conditum Diom. sed eis rebus quae maxime ad vitam sunt necessaria destitutum, Gnatiam lymphis iratis exstructam. Hominum neminem magis ridet se ipso, quem ignaviae et tarditatis accusat (5. 6.), ridet ventrem fame cruciatum (8.), oculorum speciem taeterrimam (30.), cladem noctis illius immundae (82. 85), saepissime corporis lassitudinem (5—6. 17? 25. 37. 48. 79. 94. 96?). De ceteris nautae et viatoris deridet ebrietatem, qui absentem cantant amicam, Aufidii arrogantiam, Oscorum genus clarum, maiores illustres quibus orti Messius et Sarmentus in pugnam procurrerint,

mendacium puellae, hospitis Beneventani et parochorum sordes, Iudaei Apellae credulitatem, acerbissime fortasse Mamurrae luxuriam. Atque adeo deos insectatur, quos etsi tristes ex alto caeli tecto prodigia demittere negat et securum agere aevum docet, tamen (id quod hac ipsa cernitur cavillatione) non satis pie videtur observare. Risit autem non flagitia nefanda, quae omnino ab hoc poëmate exclusa sunt, sed vitia mediocria et quodammodo toleranda, rarius mala innocentibus ferenda (ut aquae inopiam, similia). Castigat mitius homines inferioris condicionis, velut nautas, caupones, acerbius nobiliorum errores ut Aufidii insolentiam, fraudem Egnatinorum; neminem (quoad nobis licet iudicare) iniuria, neminem pervellit maligne, nullius unquam virtuti obtrectavit.

Denique, quod minime neglegendum est si Horatii ingenium ac poëmata aestimantur ne silentio videamur praeterire, ad Lucilii exemplar, cuius magistri cum omnino tum in hoc maxime poëmate vestigia Horatium pressisse notissimum est, quam prope accesserit iam breviter quaeramus. Hac de re diligenter ac subtiliter disputavit Iltgen, de Horatio Lucilii aemulo, Montabaur, 1872, 4. p. 8—13, qui saepe magis ingenii fretus felicitate quam certis munitus argumentis venari et similitudines quasi praedam agere mihi videtur. Inveniuntur sane quae imitatum esse Horatium haud incredibile, ut deformitatis infimorum quorundam descriptio, imprimis querelae itineris laboribus expressae, alia in quibus maxime memorabile illud: „lectum perminxi imposuique pudendam pellibus labem“, coll. supra I, 5, 85, quo adde I, 3, 90! Multis vero locis incertum est utrum quod est simile ex itinere Luciliano an ex aliis eiusdem poëmatis depromptum sit. Neque ego quidem hac in quaestione meo satis confido ingenio ut certi aliquid affirmare posse mihi videar. Audiamus igitur virum doctiorem hac de re disserentem. Lucianus Mueller in libello qui inscribitur: Leben und Werke des Gaius Lucilius, eine literar-historische Skizze, 1876, de imitatione primum hunc in modum iudicat p. 22: „Wir sind geneigt bei dem nachahmenden Dichter eine gewisse geistige Armuth vorauszusetzen, die Alten meinten vielmehr, dass die Nachahmung ausgezeichneter Dichterstellen, selbst zuweilen ihre wörtliche Entlehnung, mehr ein Compliment für den Autor, der benützt wurde, als ein Eingeständniss des Mangels an eignem Talent enthalte. Natürlich kann hier nur von geschickter Nachahmung die Rede sein etc.“. Idem p. 38. de itinere Luciliano: „In dem 3. Buche behandelte Lucilius die Reise, die er mit einem Freunde zum Vergnügen nach Unteritalien, Sicilien und den benachbarten kleinen Inseln gemacht hatte. Dies ist das älteste Beispiel einer launigen Reisebeschreibung — —. Nachdem sie auf einer Karte sorgfältig die Länge des Weges ermessen hatten, machten sie sich auf den Weg, zunächst nach Capua, meist zu Schiffe, an der Westküste Italiens nach Bruttium, von wo sie später nach Sicilien gingen. Auf dieser Reise hatten sie verschiedene Abenteuer. Sie

wurden von Stürmen zu Wasser und zu Lande verfolgt. Bald taugte das Pferd nicht, bald die Sänfte. Einmal kamen sie, vermuthlich in Bruttium, in eine ganz verlassene Gegend, wo sie nur eine syrische Gastwirthin fanden. Lucilius, der sehr gern gut ass (in seinen Fragmenten wird oft Gastronomisches erwähnt), beklagt sich, dass es dort keine Leckerbissen gab, weder Austern noch Spargel noch Aehnliches; denn es gälten an jenem Ort schon ein Becher mit elendem Krätzer und Rautenkraut für Delikatessen: ostrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris cett." In his neque inesse nonnulla nostro poëmati persimilia, neque multum et hercle longe plus interesse inter hoc et illud negari potest. Accuratius in hac fragmentorum congerie quantum ex Lucilio sumpserit, quid ipse adgesserit Horatius discernere aliorum et eruditiorum sit. Id certe constat, cum hoc omnino genus sermonum inventum esse a Lucilio tum itineris iocosam descriptionem, immo haud pauca ab eo mutuatum in suum convertisse usum Horatium. Eundem vero ordinem rerum, rationem componendi, imprimis elegantiam ac brevitatem dicendi, quidquid denique in eo admiremur, non ex alterius petiisse exemplo sed ex sui hausisse ubertate ingenii quis dubitaverit?

Iter Brundisinum a. 717. u. c., 37. a. Chr., factum esse Kirchnerus tam certis docuit argumentis ut hac de re ambigi iam nequeat. Vernum fuisse tempus num culices ranaeque ac macies turdorum doceant quamquam non satis habeo exploratum adeo non nego, ut si suspiciones licet sequi vias potius imbribus corruptas testes adhibere malim. Nam aestivo tempore tam arida humus est ut vel largissimo imbre viae vix corrumpantur. Aut vernum igitur relinquitur aut tempus autumnale. Vere autem et veris quidem initio Antonium in Italiam venisse Appianus tradit V, 93: ἀρχομένου δ' ἦρος. v. Kirchner. l. l. p. 58. Illo igitur anno quid efficere potuerit poëta hac satira videmus. Itaque hinc si proficiscimur, quid ante hunc annum composuerit, quid postea, caute ac diligenter scrutando explorare licebit. Iam quod postea omnibus prope locis agit in sermonibus, ut adhortetur ad virtutes, a vitiis absterreat, omnino doceat, moneat, impellat, quasi more philosophorum quidquid amplectitur in eo copiosius versetur, in hoce nondum animadvertimus sermone. Qua de causa sat. I, 2. (Ambubaiarum collegia) hace priorem esse mihi quidem a vero longe videtur abhorrere. Sed haec alias. Multo huice similiores sunt satt. I, 7. 8., quas quia inspicere ab incepto nostro vix est alienum, nonnihil iam de eis adiiciamus.

Sat. I, 7.

Hac in satira quid propositum habuerit poëta, ex ipso liquet exordio. Nempe R e g i s R u p i l i p u s a c v e n e n u m, quoniam non idem est quod infra v. 28 ss. effundere dicitur nec Rupilius

et Persius inter sese ulciscuntur sed unus Persius etsi non lacessitus illum ultus esse fertur, plerisque lectorum cognitum fuisse necesse est. Tandem aliquando, inquit poëta, Rupilius iste, quem puris ac veneni plenum esse nemo ignorat, tandem ut par fuit castigatus est. Quod quo pacto effectum sit, opinor omnibus et lippis notum et tonsoribus esse. Non id dicit poëta neminem iam illius rei ignarum esse, quasi tonsores postremi quid novi acciderit audiant ac non primi accipiant acceptaque divulgare festinent. At in tonstrinis omnia plebis genera et infima quaeque frequentissime occurrunt. Huiusmodi igitur hominibus, lippis et tonsoribus, Rupilius homo nobilis (eques Romanus, a. 702. magister publicanorum in Bithynia, 711. praetor, tum proscriptus) derisui et despicatui est, adeo Persius hominem ultus est impudentissimum. Ac bene accidit quod Hybrida est Persius. Aegre enim a se impetrasset poëta, ut hominem Graeculum victoriam faceret reportantem de viro Romano. Nec magis decebat duos Romanos in Asia (in barbarorum conspectu) facere altercantes. Hybrida quoniam est Persius, et canis et lupus bene evitatur. Hic vero Persius quo fretus auxilio certamen cum Rupilio inire ausus est? Id quo facilius intellegatur, iam quae ad vitam et mores pertinent Persii nonnulla praemittuntur. De Rupilio nihil, quippe qui omnibus esset notissimus. Persius hic permagna negotia dives habebat Clazom.; scilicet nisi dives Rupilium publicanorum magistrum nemo statu poterat deiicere. Etiam lites cum Rege molestas; satis igitur irae, ut tam vehementer erumperet, imbiberat Persius. Durus homo — — confidens, tumidus cett. Sane eis instructus est virtutibus, quibus qui in certamen descensurus erat cum Rege carere non posset. Sisennas, Barros ut equis praec. alb. Sic saepe obiter stringuntur, quos et carpere vellet poëta neque toto petere poëmate adtineret. Sed facete triumphalibus utitur verbis, quasi de summa virtute ac laude certetur.

Ad Regem redeo. A Rege igitur, non ab utroque, profectus erat, Regem potissimum petierat. Nec tamen ad Regem nunc ita reditur, ut similiter ac modo Persius nunc et ipse Rupilius eiusque vita ac mores notentur. Sequuntur enim haec: postquam nihil inter utrumque convenit cett. At quoniam Rex non incognitus est lectoribus ut Persius, cum ad illum rediri dicitur, non ad mores effingendos sed ad ultionem, qua Persius Regem persecutus est, enarrandam poëta convertitur. Quod si ita est, non mirum quod sequitur: postquam cett. Qua de re inter utrumque non convenerit, nil refert. Publicanus et negotiator de maiore an minore aeris pondere inter se litigent, uter utrum debita fraudasse mercede feratur, quid interest? Nil igitur convenit: hoc etenim sunt omnes iure molesti, h. e. omnes molesti (subi.) sunt eodem iure (praedic., velut uxores eodem iure quo fuerint esse dicuntur apud Ciceronem), omnes molesti (litigiosi,

importuni) eadem sunt condicione qua fortes cett. Hanc unam verborum structuram miror non omnes sequi interpretes. Inter Achillem vero et Hectorem ira fuit capitalis, ut nihil eam nisi mors ultima posset dividere; item inimici ut Rex et Persius in gratiam redire nullo modo possunt. Quod quam dicaciter expressum sit neminem fugit. Quid quod de magnis illis viris antiquitatis unus (Glaucus) hisce conviciatoribus virtute videtur inferior.

Bruto praetore tenente — (sollemniter velut in exordio senatusconsulti vel plebisciti) par pugnat uti non — Bitho Bacchius (gladiatores). Modo causa videbatur dici forensis, nunc in eo est ut gladiatores in arenam descendant; tam acres tanquam in aciem procurrunt. Quos adspicere operae opinor pretium erat (magnum spect. uterq.). Persius exponit causam. Sermonis forensis siccitatem egregie poëta imitatur. Ridetur ab omni conventu. Nempe non ob ea, quae sequuntur: laudat Brutum cett., iam antea dici credo risisse conventum. At Persius, homo durus confidens tumidus, tam arroganter causam opinor exposuit, ut eo ipso is esse videretur, qui Rupili Regis pus ac venenum vinceret. Neque enim pavorem cernebant in eo, qui qualis fuerit ex v. 6. ss. nobis licet coniicere. Laudat Brut. laud. coh. Solem Asiae cett. Laudatio ipsa, si veterum his in rebus studia spectamus et iudicia, haud sane inepta est; nec male acerbitatem odii admiscuit: canem illum, invisum agricolis sidus (unde, si tanti est, quid fuerit cur inter sese litigarent, facile est divinare). Homo igitur tam durus et sermonis amari quod quasi poëta et Pindari aemulus solem ac sidera sonat, derisui est cohorti; negotiator confidens tumidusque quod in adulationem prolapsus blanditiis iam Brutum cumulat cohortemque, quid potest dulcius esse auditu? Sed tamen cave ne ob id ipsum credas in Persium satiram aut in Persium non minus quam in Rupilium esse compositam. Ridetur sane Persius (v. 22.). Verum enim vero Rupilium quis posset conficere, nisi si quis eum vinceret impudentia? Multo enim uberior copia est ingenii Persiani, quam cuius totam poëta orationem complecteretur; nonnihil enotasse satis habet. Ruebat enim P. flumen ut hibernum cett., qua comparatione vis ac furor illius eloquentiae ostenditur.

Tum Praenestinus —. Necdum homo Romanus ita profligatus est ut armis abiectis ad victoris pedes procumbat. Salso illi multoque fluenti regerit convicia arbusto expressa, qualia vindemiatores viatoribus respondent conviciantibus. Qui si sero, cum cucullus iam advenerat, vindemiatores putantes vineas conspiciebant, cucullum conviciandi causa clamabant. His vindemiatores satis horride respondebant. Convicia ipsa tacet poëta. Num forte pudore ne aequo turpiora ederet prohibitus? At satis aspera apud Horat. inveniuntur ut sat. I, 5. 8. epod. 4. 5. 6. 8. 9. 12. 17. Scilicet ut hominem Graeculum Italo perfundi aceto poëta Romanus haud dubie gaudet (id quod verba Italo perf.

aceto satis docent), ita cavet, ne Rupilius, in quem scripta est satira, conviciis vicisse adversarium videatur. His profecto Persius graviter vulneratus velut pugil qui extremum conatur impetum exclamat: per magnos, Brute cett. In quo quod interpretes facetissime dictum esse arbitrantur et summis ornant laudibus („köstlicher Witz", „kostbares Wortspiel" similibusque), his dignum esse palmis adeo non assentior, ut inter ea potius salse dicta censeam referendum, quae nostrates tanti non esse (wohlfeile Witze) dictare solent. Neque eo magis egregie hoc dicto causam absolvi nego. Rupilius hoc impetu improviso et risu ceterorum ita sine dubio perturbatur ut convictus ac prope condemnatus esse videatur. Quae sententia futura sit iudicum nil refert. Rupilius R., homo iste puris ac veneni plenus, quem, nemo non horrebat et fortasse ob id ipsum, quia proscriptus erat, ne in triumvirorum castra transiret, Bruti amici castigare ut par erat verebantur, iam poenas dedit iustas debitasque, nactus est adversarium ipso asperiorem, in vulgi iam ore impune ridetur.

Hac satira neque Brutum petulantius tangi neque esse cur non post Horat. reditum in Italiam primo quoque tempore compositam esse statuamus, non est quod longius exponam. Sed ad hanc quaestionem infra erit redeundum. Ad proximam igitur transeamus.

Sat. I, 8.

Hoc sermone, quo Canidia carpitur venefica, facete quid gestum sit horridi deum Priapum poëta facit testantem. Neque ita orditur ut muliebrem extemplo castiget insaniam (quasi eiusmodi referre nugas operae pretium sit), sed de se ipso deum inducit lepidissime fabulantem. Olim truncum, inutile lignum, cum paulum abesset quin scamnum fieret, fabri arbitrio immo libidine deum se factum esse. Nam incertus ille scamnum faceretne Priapum maluit esse deum — qua impulsus causa? nulla hercle, sed quoniam non utrumque ex eodem sculpi poterat ligno, deum esse maluit. Deus inde ego et qualis! Furum aviumque maxima formido. Modeste neminem se vereri iubet nisi fures avesque, quibus si formidini sit contentum se esse confitetur. Nec dignitate quadam fretus divina poscit ut reverentia se prosequantur, sed fures dextra (sc. falce armata) coërcet cett. ita ut horrore procul depellantur (ast import. volucr. cett.). Hunc igitur in modum qui de dignitate iudicat divina, eum credo mulierum malas artes veneficarum magnopere horrere.

Ac ne nunc quidem quo tendit eo procedit narratio sed iam de loci natura et usu copiose exponitur: Huc prius angustis cett. Hunc enim locum prius servis ac miserae plebi commune fuisse sepulcretum velut (hic similiter ac I, 5, 37 in Mamurr. urbe. I, 7, 8: Sisennas, Barros, inseritur versus, quo obiter quidam et h. l. quidem celeberrimi duo illius temporis decoctores stringuntur)

Pantol. scurr. Noment. nep. Mille pedes in fronte cett. Quod quamquam inscriptionibus (v. commentarios ad h. l.) satis illustratur, quo consilio h. l. dictum esse videatur dubium est. Enimvero huic contraria sunt decreto quae sequuntur v. 14: Nunc licet —. Opera autem, quibus salubritati loci consultum est, Maecenate auctore instituta esse quoniam inter omnes constat, huius laudandi causa hosce insertos esse versus (14—16) credibile est. Sed quo tandem consilio a v. 8. prior loci condicio et species tam copiose describitur? Sepulcreta, opinor, etiamtum hominibus superstitiosis (quotusquisque autem superstitioni deditus non erat?) horrenda videbantur; quamobrem magae, de quibus mox plura accipiemus, his potissimum locis incantationes et cetera opera magica instituere solebant aut quia ipsis locis vim quandam divinam inesse putabant aut quo plus aliis, quibus insidias struebant, horroris incuterent. Has igitur nugas Horatius plane spernit ac contemnit. Fuit olim, inquit, his locis servis miseraeque plebi sepulcretum velut Pantolabo cett. Hi miseri, qui vivi ne iugerum quidem possederant, hic denique nacti sunt aliquantum agri et ea quidem lege, ut in perpetuum eorum maneret neve ut cetera bona heredes sequeretur. Verum enimvero — tam mobiles fragilesque res sunt humanae — ne id quidem decretum non est abrogatum. Quod enim salus publica quae summa lex est postulaverat ut harum regionum consuleretur salubritati, nunc effectum est. Sic qui ut deorum fabrorum libidine factorum dignitatem ita sepulcretorum illis temporibus religiosissimorum spernit sanctitatem, quam contemptim artes istas magicas mulierum despexisse putandus est! Qui neque pristinae condicionis memoria terretur et nova loci specie laetatur, eum credo mulierum magicarum artes pertimescere! Quamquam deorum deridet dignitatem, sepulcreta etsi non religiose colit tamen non sine misericordia quadam videtur respicere. Petulantis enim esset et lascivi sepulcra derisui habere. Huius misericordiae plures loci documento sunt; v. 8: huc prius angustis (sc. vivi angustis inclusi cellis, ubi decesserant, huc eiiciendi vili arca a conservo portandi locabantur); tum: miserae plebi —; nec repugnat interpretationi nostrae v. 11. (Pantol. sc.). Est enim generis cuiusdam poëtarum dulcibus tristia, ioca seriis immiscere. Quo in genere Horatium esse, quo prope nemo unquam poëtarum nec graviora nec leviora versibus composuerit, non est ambiguum. Satis igitur, inquit, agri inopes illi hic invenerunt, quo ne unquam fraudarentur lege cautum erat. Sed tamen nunc licet —. Nimirum in tanta inopum illorum misericordia hance loci meliorem esse speciem ac condicionem libere fatetur (salubribus — aggere in aprico spatiari).

Necdum tamen omnia obruta erant sepulcreta; inde igitur etiamtum mulieres ossa legere solebant. Neque una nocte furore impulsae huc (semel) venerunt sed venire consueverant simulac vaga Luna cett. (eo magis nunc dignae sunt quae poëtae car-

mine vellantur). Ridentur autem ita ut primo Canidia, quae maxime petitur, cum Sagana maiore natu et quasi magistra incedere dicantur pedibus nudis passoque capillo ut Medea (Ov. Met. VII, 182: nuda pedem, nudos umeris infusa capillos), ululantes, pallidae, horrendae adspectu. Tum terram effodiendo et hostiam quam adduxerunt mactando Ulixis imitantur comites, mulierculae molles et pallidae viros fortissimos patientissimosque laborum. Mox effigies, una lanea, altera cerea, statuuntur, quarum usus notus ex Verg. Bucol. 8, 80. Deinde Furiae, Hecate et Tisiphone, vocantur. Iam taeterrima specie deus ipse adeo perturbatur, ut quae non vidit, serpentes dico et canes infernas, videre sibi videatur. Egregie Luna his erubescens facinoribus ne sit testis post sepulcra delitescit. Mentior at si quid —. Deus bonus loquitur ut mortales si quid referunt cum indignatione: ita vivam vel moriar (ne vivam) —. Scilicet deus immortalis aliud sibi imprecari cogitur: merdis caput inquiner cett. Atque, quo nihil novit atrocius nihil foedius, in me veniat cett. (38. 39.), ubi, ut I, 5, 37: Mamurra, I, 7, 8: Sisenna et Barrus, I, 8, 11: Pantol. et Noment., sic alii obiter stringuntur. Atque hic deus tam miserabilis, ut corvos et Pediatiam fragilem furemque Voranum expavescat, facinora tamen nocturna mulierum indignatur. Singula quid memorem? Vel deum taedet singula memorare, quomodo umbrae (comparuerant igitur iussu mulierum) resonarint, ut lupi barbam cett. abdiderint, aliaque haud sanioris mentis vestigia. Id unum meminit se non inultum testem horruisse voces furibundarum. Nam — pepedi, quod utrum consulto fecerit an horrore et pavore coactus in dubio relinquit. At certe non consulto; an vero natem ipse voluit diffindi? Nec, cum mulieres ei non essent incognitae (20. 21: has nullo perdere possum nec prohibere modo), veri similius est metu et pavore partem illam corporis divini displosam esse. At taedio credo eiusmodi eruptionem oriri potuisse. Taedio stomachus saepe laborat et gustatus ac saepe fames expellitur, taedio fieri potest ut venter impletus dissiliat. Quo fragore audito illae aufugiunt quasi Iovem tonantem metuentes, inter fugiendum dentes, herbas cett. amittunt. Cum magno risu iocoque videres. Adeo igitur deus non est terrore perculsus, ut fugam rideat mulierum. Taedio enim iamdudum cruciatus erat. Nunc vero ubi stomachus ventris crepitu liberatus est molestiis, nunc deus bonus gaudio exsultat. Ita igitur timendae sunt magae mulierculae, tam gravia et pestifera earum sunt medicamina, ut aurae leni motu consternatae terga vertant.

Hanc satiram ut priorem epodis V. et XVII. (utroque enim carmine acerbe vellit, quam hic leniter et iocose tetigit; nec probabile est, quam antea graviter laeserat, eandem postea leviter stringi, scilicet aut sedatur ira aut intumescit) ita satira I, 7. posteriorem, utramque autem (7. et 8.) priorem esse quam I, 5. mihi quidem dubium non videtur. Neque enim solum argumentum

septimae minoris est momenti sed etiam in re exponenda vestigia inveniuntur, e quibus primum illum confectum esse sermonem (I, 7.) demonstrari posse confido. Persius plura locutus esse traditur quam in eis quae sequuntur legimus. Omnino autem homines potius loquentes facere et agentes quam quales fuerint copiose praenuntiare oportebat. Longe pluris est argumentum octavae (I, 8.) quam illius (I, 7.) in qua nihil agitur nisi ut Rup. R. homo sane acerbissima ultione dignus rideatur. Mulierum vero insania (non unius, sed multarum) adeo videtur tum serpsisse ut profecto esset cur gravius castigarentur. Egregie autem institutum est ut alius isque deus quid evenerit horridi testans inducatur. Sed in narrando non eam brevitatem deprehendere mihi videor quae in sat. I, 5. omnibus occurrit locis. Quamobrem si sat. I, 5. a. 717. (a. Chr. 37.) composita est, sat. I, 7 aliquanto prius ita ut propius ad a. 712. accedat (quo Brutus cecidit) velut 714, sat. I, 8. eodem fere tempore vel aliquanto post, a. fere 714—16. (tamen aliquanto ante I, 5.) scriptas esse suspicor. Has igitur tres satiras qui primas ab Horatio scriptas existimaverit, haud procul a vero abesse mihi videtur. Sat. I, 2., quam priorem esse propter unum locum male expositum (v. 25.) crediderunt, maioribus longe similior est poëmatis ut I, 1. I, 3, in quibus de re aliqua graviore quaeritur ita ut legentium animi non solum delectentur ut I, 7. 8. 5. quibus proxime accedit I, 9., sed etiam doceantur, moneantur, ad honestissima quaeque virtutum studia impellantur vel a malorum irritamentis avocentur. Ex eodem genere esse sat. I, 2. negari non potest. Credibile vero est Horatium primo, cum versus pangere conaretur, non ad summa quaeque et gravissima accessisse sed leviora ut risus iocosque sibi proposuisse. In quibus cum nonnullos leviter tangere coepisset, factum est ut mox alia et maiora, quae tota ad vitia quaedam pertinerent, aggrederetur.

At quoniam Horatius ipse hoc quo nunc feruntur ordine videtur edidisse satiras, nisi eodem compositae erant, quid erat cur hoc eas ordine ederet? Qua de re ita mihi persuasum est. Praemisit tres maiores de rebus gravissimi momenti graviter scriptas; his succedit ea, qua de omni satirarum poësi disseruit. Tum sequuntur minores, quas neque praemittere neque in fine ponere decreverat. Copiae scilicet, quibus minus confiditur, in media collocantur acie. Hae sunt 7. 8. 5. 9. Sed accessit 6., in qua cum poëta maximam partem de se ipso verba fecisset, qua erat modestia, mediis istis eam nugis inseruit. Neque enim decuit eam insigni loco et quasi undique conspicuo ponere. Ita post 4. (de poësi satirica) duae (5. 6.) sequuntur, in quibus poëta ipse partes suscepit primarias. Eas sequuntur 7. 8., in quibus nil prope nisi risus iocusque spectatur. His similis sed tamen gravior et politior est 9., ita ut in his 7. 8. 9. gradatim virtus poëtae crescere videatur. Satiram 10. epilogum esse non ambigitur. Hoc igitur ordine non scriptas sed consilio quodam et ratione editas esse censeo. Tempore enim

originis neque veteres in ordine constituendo multum tribuebant neque huius aetatis poëtae id agere videntur, ut quo singula scripta sint carmina eodem ordine edantur. Sed ut quam aptissime inter sese excipiant atque animos legentium oblectando laudem mereant, aut similia iuxta ponuntur aut ne taedium similitudine moveatur, similia nonnunquam contrariis vel diversis dirimuntur. Quod ita esse quisquis ipse olim poëmata scripsit scriptaque amico consecravit, eum confessurum affirmaturumque spero. Id igitur si statuere licet, non iam, ut Frankius voluit, cuius fasti Horatiani merita etiamnunc florent auctoritate, ordinem quo editae sunt hodieque feruntur satirae pro eo quo compositae sint habebimus.

Corrigenda.

/a p. 29. med. legendum est: nedum versibus (non: immo).
p. 32. l. 11 (a parte inf.): scenam (non: arenam).
p. 33. med.: qua cum (non: quacum).
p. 34. med.: continuaverint iter (non: continuo process.).

Inaequalitate autem scribendi si oculi offenduntur (velut cum scriptum est modo Horatii, modo Appi, Rupili, similia), peto ut clementer — non conniveas ut supra scripsi p. 28. med. verum — coniveas.

Denique nonnulla, quae ab aliis satis erant illustrata, aequo fortasse citius me video transvolasse (ut sat. I, 5, 29: soliti). Quamquam nemo ne adulescentium quidem, si illas volet legere ac perpendere satiras, hace una contentus erit commentatione sed commentarios inspiciet obvios omnibusque rebus quae ad interpretandum pertinent instructissimos.